





Calendarium
1541











1541

D

LILII GREGORII GYRALDI DE ANNIS ET MENSIBVS, CAETERISQVE TEMporum partibus, difficili hactenus & impedita materia, dissertatio facilis & expedita.


EIVSDEM.

Calendarium & Romanum & Græcum, gentis utriusque solennia, ac rerum insigniter gestarũ tempora complectens, magno tum historijs, tum cęteris autoribus cognoscendis usui futurum.



BASILEAE
apud Mich. Isingrinium,
1541.

ILLVSTRISSIMAE FERRARIAE AC CARNVTI PRINcipi Diuæ RENATAE Galliarum Regis Lodouici duodecimi filiæ, Lilius Gregorius Gyraldus S. D.


ON sum nescius, Princeps illustrissima, si hoc meum de annis & mensibus cæterisq́ʒ eorũ partibus commentarium, quod ad agnitionem animi pulcherrimum est, & quod proximis diebus confeci, edere uoluero, fore ut in uarias reprehensiones incurram, meq́ʒ nõ modo obiurgatoribus, sed & obtrectatoribus obijciam. Nam nonnullos qui se Ciceronianos haberi uolunt, iam nunc illud mihi obijcere audio, q̊d minus Ciceronis imitator fuerim, meusq́ʒ hic stylus nimis humi serpat. Alios uero, q̊d quæ ex Philosophorum monumentis hausi, non à me satis exploratè percepta, minusq́ʒ cõmodè digesta, & perinde confuse, nec enucleatè à me prodita, quin ex hac in illam plerunqʒ hæresin me transiluisse. Quidam & illud mihi impingent, quod in mathematicis disciplinis, in quibus fermè res tota de qua agimus consistit, nõ usqueadeo rationes obnixè ad calculum reuocarim, neqʒ ad particulas primaq́ʒ elementa deduxerim. Postremò & plerosque futuros suspicor, qui mihi uitio

dabunt, quod in græcis uertendis uel parum expresse, uel uerbum penè pro uerbo reddiderim. Alia porrò multa eos mihi uitio daturos sentio, qui in alienis censendis taxandisq; studium omne suum impendunt, quiq; aliorum studia nõ in angulis modo, sed & in circulis & coronis uellicant. Quibus omnibus si respondere, meq; ab eorum maledictis obtrectationibusq; tueri uelim, mihi sic infirma ualetudine & malè affecto, & laboriosum nimis foret, & in longum nimis sermo traheretur. Qua ratione factum est, ut te præ cæteris meo huic commentario patronam ac fautricem adoptarim, idque ideo tibi quàm alij credere & committere malui, ut (si tibi ita uidebitur) in apertum lucemq; sub tuo nomine prodeat, quo ueluti Palladis (quod aiunt) clypeo, à calumniantium obtrectationibus protegatur. Id quod facillimè facere poteris, propter tuam summam autoritatẽ, & qua in studiosis bonisq; omnibus iuuandis animi propensione à primis usque annis fuisti, iam tum sub maximo Rege parente tuo Ludouico duodecimo. Locus hic exposcere uidebatur, ut in laudes tuas immortalitate dignas excurrerem, sed meæ exiguitatis conscius, & tuæ sublimitatis, eas suo Regiæ celsitudinis fastigio malui notas præterire, quàm ingenij mei imbecillitate deterere. Nam quid dicam sanctissi-

ctiſsimos mores tuos, uitæ integritatem, miſericordiam, & largas manus in pauperes? Quid, inquam, pietatem & religionem in Deum optimum maximum, quàm caſtè, quàm mundè colas? Illa uero notiora, te literis ſacris, uirtutibusq́ omnibus ornatiſsimam: quibus rebus non modo noſtræ ætatis mulieribus antecellis, ſed antiquas illas Heroidas æquas. Te igitur omnibus his de cauſis patronam ac tutricem delegi, meq́ tutelæ tuæ cõmendaui, ut me, reliquumq́ quantulumcunque uitæ ſupereſt, quali cœpiſti ope ac præſidio iuues. Nam detractoribus quidem his uelut offis ora ipſe obſtruam, me uidelicet poſt alteram & alteram bonorum & facultatum omnium direptionem, optimorumq́ amicorum amiſsionem, uelut addictum cuidam quaſi perpetuo carceri, non quidem ex edicto prætoris, non alicuius principis iuſſu, ſed impotentis nouercæ naturæ iniquiſsimo imperio: me adeò articularibus dolorib. toto corpore affligi, torqueri, ut ex multis annis non modo ex ędibus & è cubiculo pedem efferre nõ detur, ſed uix per interualla morbi ſella curuli ſedere ac perpaululum uehi. Sed tamẽ tot his malis ſic conflictatus, nõ angori penitus ac inertiæ me demitto, ſed cum nonnihil aliquando

ſe dolores remiſerunt, aliquid interea meditor (ſi minus ſcribere poſſum) qualecunque, quod ſtudioſæ iuuentuti prodeſſe poſsit. q̊d cõtingat utinam. nam ſic equidem fructum cepero laboris, & non parũ ſimul leuationis, & ſolatij languoris, diurniq́; morbi. Quod ſi his contra uituperatores parum profecero, obtrectariq́; illi non deſinant, ualento: neq; idcirco tamen pedem ipſe retraham, quo minus ſemper aliquid tale faciam, ut uel me in tanta ualetudinis imbecillitate utcunque ſuſtentem. Tu uero Princeps tot conſpicua dotibus, quantulaſcunq; has noſtras ipſa lucubrationes accipe ac foue, ſi non quidem Regia tua maieſtate & uirtutib. dignas, meæ ſaltem cõditioni & fortunæ cõuenientes. Vale.

AD LECTOREM.

Dum nos ſecla, dies, menſes metimur & annos,
Obrepit tacito mors inopina gradu,
Quæ ferret æthercam'ue diem, noctem'ue profundam.
Acta tibi qualis, talis agenda dies.

Conti

Mo-

Secu-

INDICIS FINIS.

AD ILLVSTRISS. FERRARIAE AC CARNVTI PRINCIPEM DIVAM RENATAM *Galliarum regis* LVDOVICI *duodecimi filiam,* LILII *Gregorij Gyraldi Ferrariensis, de annis, mensibus, cæterisq; liber.*



CRIPTVRVS de annis & mensibus, cæterisq; quibus tempora metimur partibus, difficili ac impedita materia propter uarias multiplicesq; sententias, te certissima huius patriæ salus, regina ac princeps RENATA inuoco, ut mihi quo cœpisti præsenti numine aspires. Erit huius libelli non iniucunda lectio, nec, ut spero, inutilis legenti: mihi certè etiã subleuamentũ inter tot fortunæ & ualetudinis aduersa: minus enim, dum commentamur, malis lædi uidemur. Igitur ut rem aggrediar, paulò altius ab Aeuo & Tempore exordiar, utpote quod ex his anni & cætera fluere uidentur. Est autem Aeuum, ut Censorinus scribit, tempus unum maximũ sine origine, sine fine, quod eodẽ modo semper fuit, semperq; futurũ est, neq; ad quenquam *Aeuum.*

hominem magis quàm ad alterũ pertinet. Idq; ipsum in tria quidam tempora diuidũt, præteritũ, præsens, & futurum. Præsens autem quod medium est, adeò est exiguum & incomprehensibile, ut nullam accipiat longitudinem: neque aliud esse uideatur, quàm transacti futuriq; coniunctio. Porrò etiam adeò est instabile, ut ibidem sit nunquam, & quod quis trãscurrit, à futuro decerpit. Hæc uero ipsa inter se tempora, anteactum dico & futurum, neq; propria sunt, neq; ita ut alterum altero longius breuiúsue uideatur. Quicquid enim non habet finem, collationem mensuræ nõ recipit. quapropter ęuum neq; annorum, neq; seculorũ numero, neq; denique ullo finito temporis modo metiri quisquã poterit. Recte illud ergo quod infinitum est, nos ita finiemus: Aeuum ętas est perpetua, id est, æternitas, cuius neq; initiũ, neq; finis est. Vel ita: Aeuũ continuatio quædam est temporis sine principio & sine fine manens, ex quo tempus continuè fluit. Vnde philosophus ille noster & poëta ita cecinit: Qui tempus ab æuo Ire iubes. Aeuum tamen Varro ab ætate deducere uidetur: ait enim: Aeuum ab ætate omniũ annorum. hinc (inquit) Aeuiternum, quod factum est æternũ: id ait Chrysippus esse αἰών. hæc Varro. Sanè Aeuum græcum est, quod αἰῶν dicit, quòd semper existat, παρὰ τὸ ἀεὶ ὤν.
Hinc

Hinc deum principium rerum omnium ἀὼν dictũ uidemus. Vnde ridicule XXX. ab eo æonas hęretici à Valentino induxerũt, quos cum alij, tum Irenæus & Tertullianus coarguunt. Quidam hoc tempore magnum esse negociũ putant, inter æuum, æuitatem, æternitatem, & eiusmodi cætera statuere: sed nos parum profuturas propositæ nostrę institutioni eorum argutias mittimus, & cum ijs simul Aegyptiorũ hieroglyphica, qui per lunam & solem æuum designabant: uel per serpentẽ, qui toto reliquo corpore caudã contegat, serpentemq́; ipsum illi uræum uocabant, Gręci basiliscum, nos regulum. Sed nõ modò hoc Aegyptij, sed & Phœnices effingebant, idq́; ipsi mundo assignabant, qui ex seipso alitur, & in se idem reuoluitur. Antiqui quidem Græci cum æuũ ipsi effingere uolebant, hac figura utebantur ⊗ ut in uetustis adhuc codicibus datur uideri. Sed enim apud Græcos αἰὼν uaria significat: nam interdum quidem, ut diximus, æternitatẽ sine principio, sine fine. Interdũ totam hominis uitã, ut apud Homerũ & Herodotũ, & hoc sensu ab ἀέω, quod est spirare, deducitur. Interdum & generationem & ætatem, ut cum dicimus, septem æonas à mundi exordio ad futurum interitum. Sed & medici αἰῶνα spinæ medullam significare contendunt, quomodo est illud apud Hippocratẽ: ἄνθρωπός τις αἰών.

νοσήσας τὸν αἰῶνα ἑβδομιαῖος ἀπέθανεν. hoc eſt, homo quidam ægrotans ex æone ſeptenarius deceſsit. Sed de Aeuo ſatis, nunc quod ex eo prodit, de tempore aliqua afferamus: de quo adeò uariè à ſcriptoribus traditũ, ut uix uiam inuenias, qua in eo deſcribendo te explices. Nam ſunt qui ſcribant, quod ſemper fuerit neceſſe eſſe, ſiue ante mundũ, ſiue cum mundo. Multi quidem natũ mundũ, multi non natum eſſe contendunt. Ergo hoc tempus generale, quia neq; initium, neq; finem habet, & æternitas eſt, quam Græci, ut modo dictum eſt, αἰὼν appellant, difficile eſt definiri, ut ait Cicero. Sed de tẽpore quo nunc utimur, ita poteſt: Tempus eſt pars quædam æternitatis, cum certa alicuius ſpacij ſignificatione, puta ſeculi, anni, menſis, & cætera: ita tamẽ ut intelligas partem æternitatis nõ propriè dictã, ſed per ſimilitudinẽ: neq; enim æuum menſurã capit. Poſsidonius tempus eſſe ait incorporeum, quod nihil aliud ſit q̃ interuallum mundani motus. Vnde & antiqui gentium theologi, Saturnũ qui temporis ſymbolum credebatur, οὐρανοῦ, hoc eſt, cœli filium dicebant. Quam ſententiã inter philoſophos multi ſequentes, tempus eſſe dixerunt cœleſtis motus definitionẽ. Et propterea Varro, Tempus, inquit, eſt interuallum mundi & motus. Vel ut alij colligunt, Tempus eſt certa dimenſio, quæ ex cœli conuerſion

Tempus uariè à uarijs deſcriptũ.

ſione cognoſcitur. Alij numerum & menſu ram motus eſſe dixerunt. Sunt qui harũ nul lam probent, ſic ratiocinãtes. Cur ſolis, aiũt, & lunæ ac ſiderum motus tempora ſunt, & non potius omnium corporum? An uero ſi ceſſarent cœli luminaria, & rota figuli moue retur, nõ eſſet tempus quo eos gyros & cir- cuitus metiremur, diceremusq́ aut æquali- bus morulis agi, aut ſi aliàs tardius aliàs ue locius moueret, alios magis diuturnos eſſe alios minus? Quid uero? Nõne & cum nos hæc diceremus, in aliquo tempore loqui di- ceremur? Sed nec corporis quidem motũ de finiri tempus poſſe uideri poteſt: ſiquidem corpus aliquando mouetur, aliquando ſtat. Nec ſolum motum eius, ſed etiam ſtatũ tem pore metimur, & tantũ ſtetiſſe dicimus quã- tum temporis fluxit: ut cum ſolem uel lunã in ſacris uel profanis hiſtorijs aliquando ſte tiſſe legimus, eo interuallo quo ſol uel luna & cœlum ſtabat, num aliquod tempus ibat? Ergo corporis motus tempus recte dici nõ poteſt. Pari quoq; ratione numerũ uel men- ſuram motus ipſum dicere abſonũ uidetur. Democritus & Leucippus atque Epicurus mundum ex indiuiſibilibus fruſtulis (ut ſic dicamus) quas ἀτόμους illi uocant, fabricatum eſſe dixerunt: dura ſanè, & iure improbata ſententia. Quantum autem magis fuiſſet im probanda, ſi mundum conſtare ex atomorũ

numero dixiſſent, nõ aliter ac ſi dicerent, domum conſtare ex numero lapidum, aut lineam cõſtare ex numero punctorum, cum paries ex numeroſis lapidibus, & linea, ut quidã uolũt, ex numeroſis punctis, nõ ex eorum numero cõſtet. Tempus ergo nõ modò numerus eſt, ſed ne numeroſum quidẽ, aut numerabile. Sunt qui diſtenſionẽ quandam eſſe tẽpus affirmẽt: ſed cuius rei diſtenſio uel continuatio ſit, ſe palàm ignorare fatent. Pythagoræi, ut Timæus Locrenſis refert, tẽpus æternitatis imaginẽ eſſe uolunt: id utiq; tempus eſſe ſignificãtes reſpectu ęternitatis æternæq; ſtabilitatis. Plato in Timæo, & Philon in Coſmopœia, cæteriq; qui fabricatũ mundum aſſeuerãt, tempus ab ipſo cœli naſcẽtis circumactu incepiſſe tradunt. Ariſtoteles & eum ſecuti, q̊d mundũ æternũ rati ſunt, tempus infinitũ exiſtimauere, cęliq; motu tẽperari. Hinc Varro apud Latinos à ſolis & lunæ tenore temperato, tempus dictũ putat. χρόνος uero Gręci à κρόνῳ, id eſt, Saturno deducunt. Stoici quidẽ teſte Hieron. tẽpus ita definiũt: χρόνος ἐστὶ ἐπανόρθωσις, καὶ πραγμάτων τήρησις. hoc eſt, Tempus eſt correctio, & rerũ cõſeruatio. Omneq; tempus, quo non uirtutibus opera impenditur, perire credũt, nec penè tempus eſſe. Epicureus Lucretius tempus nihil eſſe per ſe putat, ſed rebus ab ipſis cõſequi. Eius uerſus ex primo libro adſcribam:

Tem-

Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis,
Consequitur sensus, transactum quid sit in æuo:
Tum quæ res, quid porrò deinde sequatur,
Nec per se quenquam tempus sentire fatendum est,
Semotũ ab rerum motu placidaq; quiete. & cæt.

Sed plura de his missis. Nunquid ante mundum & cœlum à deo fabricatore conditũ, aliquod fuisse tempus dicemus? Nullũ pleriq; dicunt: alij fuisse quidem, sed non intellectũ, minusq; destinctum: id quod apud M. Tullium Velleius: Non enim, inquit, si mundus nullus erat, secula non erant. Secula nunc dico non ea quæ dierum noctiumq; numero annuis cursibus conficiuntur. Nam fateor ea sine mundi conuersione effici nõ potuisse. Sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla circunscriptio temporum metiebatur: spacio tamen qualis ea fuerit intelligi non potest, q̃d ne in cogitationẽ quidẽ cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum cũ tempus esset. Hęc Velleius, uel Tullius potius in primo de nat. deorũ. Num melius erit si ita distinguamus: aliquod esse tempus cõfusum, inordinatũ, inarticulatumq;: & aliquod esse distinctũ, ordinatũ, articulatũq;. Cõfusum, quale chaos & secula fuere æternitatis, id est, ante mundi constitutionẽ, humano licet intellectui ac cogitationi id minus sit noscibile, imaginatione tamen cõprehensibile. Distinctum uero & articulatũ id esse,

quo ſecula, anni, menſes, dieſq́ metimur.

Sed nos iam temporũ ſpacia interuallaq́ ſpeculemur, idq́ ex uarijs ſcriptorum ſententijs, & primum ex Varrone, qui hac de re ita ſtatuit, ut Cenſorinus refert: Primũ, inquit, interuallum ab hominũ principio ad cataclyſmũ priorẽ perducit. Secundũ ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabuloſa referuntur, mythicum dicitur. Tertium à prima Olympiade ad ſua Varronis tempora, quod hiſtoricum dictum eſt, quia res in eo geſtæ ueris hiſtorijs continentur. Primum tempus, ait Varro, ſiue habuit initium, ſeu ſemper fuit, quot annorum fuerit, planè ait comprehendi nõ poteſt. Videmus enim Hebręos noſtroſq́ nõ uſquequaq́ cõuenire: quod noſter Picus, ut alios mittam, oſtendit. Secundum quoq́ non planè ſcitur, ſed tamen ad M. circiter & DC. annos fuiſſe creditur, à priore ſcilicet cataclyſmo, quem dicunt Ogygis, ad Inachi regnum annis circiter CCCC. Hinc ad Olympiadem primam paulò plus CCCC. quos ſolos, quamuis mythici temporis poſtremos, nõ quia à memoria ſcriptorũ proximos, quidam certius definire uoluere, & quod Soſibius, quo mathetico uſus eſt Cæſar, ſcripſit fuiſſe CCCXCV. annorũ, Eratoſthenes autẽ VII & CCCC. Timæus XVII & CCCC. Aretes CCCC LXIIII. & præterea multi diuerſe, quorum

Temporis diuiſio.

Mythicum.

Hiſtoricum.

etiam

etiam ipſa diſſenſio incertum eſſe declarat. De tertio autē tempore aliqua fuit inter autores diſſenſio in ſex ſeptémue tantummodo annis uerſata:ſed hoc quodcunq; caliginis Varro diſcuſsit, & pro cętera ſua ſagacitate, nunc diuerſarum ciuitatū conferens tempora, nunc defectus eorumq́; interualla retro dinumerans, uerum eruit, lucemq́; oſtendit, per quam numerus certus nō annorum modo, ſed & dierum perſpici poſsit. Sed & in hac Varroniana diſtinctione erratum uidetur maxime, ea puto de cauſa, quoniam eius libri deperditi ſunt. Verū apud noſtros Iulius Africanus ſub Imperatore M. Aurelio Antonio ſimplicis hiſtoriæ ſtylo, & poſt hunc Euſebius Pamphili & Hieronymus, hanc temporum ab orbe condito per dynaſtias & regna ſupputationem uidentur diligentiſsimè confeciſſe. Sed & ante hos Beroſus Chaldæus, Philon & Ioſephus Hebræi. Id etiā in lib. de ciuit. Dei Aurelius Auguſtinus, & Iſidorus in Chronico & Etymologijs, & Bedas attigerunt, ut miſſos faciam qui noſtro tempore græcè & latinè Chronica ſcripſerunt. Ex quibus omnibus nos ita collegimus, ab orbe condito ad primū uſq; annū IESV CHRISTI D.N. annos fluxiſſe $\frac{\text{M}}{\text{V}}$ C C. hoc eſt, millenos quinos & ducenos, 5200. P. M. à quo anno ad hūc quo nos hæc ipſa cōmentamur M. D. XXXIX. quæ ſum

ma plus minus conficit annos $\frac{M}{VI}$.DCC.
XXXIX.hoc eſt,6739. Non me præterit ab
hac deſcriptione diſſentire Hebręos quoſdã,
Alfonſum regem, & Picũ, & alios nõnullos.
Quę ſi noſſe uoluiſſent gentes, nõ in tot inci
diſſent de mundi ætate ambages. Plato, qui
ueritati propius acceſsit, mundũ quidẽ con
ditũ ab opifice Deo aſſeruit, ſed quo princi-
pio minime: Aegyptiũ em̃ inducit de mundi
ætate innumerabilia ſecula cõmemorantẽ,
qui Gręcos idcirco tanq̃ ſemper pueros irri
det. Vt mittã in pręſentia quę de coctilib. late
ribus tradunt uel confingunt potius, innu-
merabiles penè annos oſtendentib. Celebra
tur epiſtola Alexãdri Magni ad Olympiadẽ
matrẽ ſuam, quã ſcripſit narrationẽ cuiuſdã
Aegyptij ſacerdotis inſinuans, quã protulit
ex literis quæ ſacræ apud illos habent. Cõti-
net etiã regna, quæ græca quoq; nouit hiſto
ria, in quibus regnũ Aſſyriorũ in eadem epi
ſtola quinq; millia excedit annorũ. In græca
uero hiſtoria mille fermè & CCC. habet ab
ipſius belli principatu, quẽ & ille Aegyptius
in eiuſdem regni ponit exordio. Perſarũ au-
tem & Macedonũ imperiũ uſq; ad ipſum A-
lexandrũ cui loquebatur, pluſquã octo an-
norum millia ille conſtituit, cum apud Gręcos Macedonum uſq; ad mortem Alexandri
CCCCLXXXV. reperiant anni, Perſarũ ue-
ro donec ipſius Alexãdri uictoria finiretur,
CC &

cc & xxx. cõputentur. Hæc quidẽ Aurelius Augustinus. Chaldæi quoque, & qui ex Caucaso cœli signa seruasse ferunt, ut Cicero & Lactãtius scribũt, quadringenta & septuaginta millia annorũ monumentis comprehensa se habere affirmarunt. Quare minus mirũ uideri debet, si Aristoteles & eum secuti philosophi, in eam opinionẽ impegerunt, ut æternũ mundum & sine principio & fine uel crediderint, uel certè literarũ monumentis prodiderint.

His ita de temporum interuallis uel ætatibus expositis, temporis quoq; partes scrutemur. Isidorus inquit: Tempora momẽtis, horis, diebus, mẽsibus, annis, seculis, ętatibusq; diuiduntur. Momentum est minimũ atq; angustissimũ tempus, à motu siderũ dictum: est enim extremitas horæ in breuibus interuallis, cum sol aliquid sibi cedit, atq; succedit. Hęc ille. Alij tempus ita distinguunt: seculum, ętas, annus, mensis, hebdomas, dies, quadrans, hora, punctum, momentũ, uncia atomus. Sunt ex nostris qui ita dirimunt. In ætatem primùm, quam mille annorũ esse dicũt. Deinde in seculum, quod centum annorum. In indictionem, quam xv. annorũ statuunt. In lustrũ, quę Græcis est olympias, quę perfectos quatuor annos cõtinet. Tum in annũ diuidũt, quem in quatuor horas uel tẽpora distinguunt. Tempus in tres menses.

Temporis partes.

Menſes in hebdomadas quatuor. Hebdomada in dies VII. Dies in quadrãtes quatuor. Quadrans in ſex horas diuiditur. Porrò hora in quatuor puncta. Punctũ in decem momenta. Momentũ, quod & momen apud antiquos uocitatũ uidemus, in uncias duodecim. Vncia in XLVII. atomos. Atomus uero, ut uox ipſa indicat, diuidi ac ſecari in partes nõ poteſt. Nuper cum antiquos quoſdã libellos euoluerem, qui menſurarũ ac ponderum rationem continent, inter cętera curioſe pertractata & hoc legi: Annũ & menſem libram utrunq; dici poſſe, quod ille ex XII mẽſibus, hic ex XII horis cõſtet: porrò horam cõſtare ex quinq; punctis, X minutis, XV partibus, XL momẽtis, & LX oſtentis: horamq; diei ſecundũ ſolis curſum quinque puncta habere, iuxta uero lunam quatuor duntaxat. Qui latinè tamẽ & ſyncerius locuti ſunt, momentum uel ut momen diximus, pro breui quidem tempore accipiunt, quotum tamen haud definiunt, ſicut & punctum, ut Horatius cum ait, Quid enim? concurritur, horæ momento. & per tralationẽ ad alia, ut illud poëtæ Luc. Non ponderarerum Non momenta ſumus. Sed à grammaticis accuratius. Punctũ & temporis ait Terentius: Tum temporis pũcta mihi ad hanc rem. Cicero: Die dico? imò hora atq; etiam puncto temporis eodem. Idem: Hunc diem, hoc

Momen.

hoc punctum temporis. Quod & frequentius diuus Hieronymus quadã epistola ita enunciauit: In atomo, in puncto temporis atq; momento. Lucretius puncto tempore uisus est dixisse in secundo:

Et capiant sensus, & puncto tempore reddant.

Nisi quis legere malit temporis, & s de uersu elidat, ut apud eum frequenter fit. Minutis nunc quidem LX. astrologi dicũt horam constare, sed Boëtius Seuerinus puncto minus esse minutum ostendit. Alij alias minutias gradusq; cõmenti sunt, ut qui post Ptolemæum & Theonem cum græcè tum latinè barbareq; astronomica scripsere. Mihi uisum est satius in tres partes tempus omne diuidere: in annos, menses & dies. Annos porrò in magnos, uertentes, in secula, ætates, geneas, lustra uel olympiades, & penteteres, in trieteres, indictiones, æra, iobeleos. Præterea menses in Calendas, Nonas, Idus, uel ut Græci, in Neomenian, consistentes, id est ἱσταμένους, decades, & icades uel desinentes, id est, φθίνοντες. Dies uero in quadrantes, horas, & cæteras partes. Exordiemurq; ab anno magno, primumq; ne quid desideretur etymon excutiemus.

Annus, ut Varro interpretatur, ut parui circuli annuli, sic magni circites anni dicebantur. Hinc & Seruius ab annulo dictum annum existimauit, qui & Aegyptios ait an

te literarũ uſum dracone caudam ſuam mordente annũ effinxiſſe, qua de re antè locuti ſumus. Atteius uero Capito annũ à circuitu temporis dictũ ait, quia ueteres Am pro circum ponere ſolebãt. Alij annũ ab annouando, quia ſuo naturali ordine cũcta annouet, hoc eſt, circumnouet. Sex. Pompeius annũ ex gręco uenire ait: quod enim illi ἔννον, nos annũ dicimus: & quod nos trienniũ, illi τρίεννον. Non ſum tamen neſcius, aliam habere lectionem, qui nunc impreſsi ſunt codices. Sed enim ἔνον dictionem per ſimplex ν ſcribere uident̃ Suidas & Euſtathius, & cum afflatu: atq; ideo uidet̃ minus conſonũ, ut ab eo deriuetur. Sed nec te pigeat audire Socratem ita loquentẽ in Cratylo: ἐνιαυτὸς, inquit, & ἔτος idem eſſe uidentur: quod enim in lumen uiciſsim educit quæcunq; naſcuntur, fiuntq́; ex terra, ipſumq́; in ſeipſo examinat & diſcernit, annus eſt: qui in duo ſectus eſt, ut Iouem in ζῆνα καὶ δία dictum eſt. Ita & annus ἐνιαυτὸς, quia in ſeipſo: & ἔτος, quia examinat, quaſi τὸ ἐν αὐτῷ ἐτάζον iunctim, quod diſiunctum facit ἐνιαυτὸς καὶ ἔτος. Hæc in Cratylo. Grammatici porrò & aliam afferunt interpretationem ſuper illud Homeri: ἐνιαυτοὶ μεγάλου διὸς, quæ quoniam noſtro negocio minus eſt apta & uerboſior, à nobis ideo mittitur. Certe & illud ſciendum, ἐνιαυτὸν interdum pro longo temporis ſpacio deſumi, ut cum

comi-

comicus poëta dixit ἐτῶν ἐνιαυτὸς, παρὰ τὸ ἐνιαύω tunc dictus existimatur, quasi diutius immoretur. Sed & annum Græci Lycobonta uocant, idq́ue ea ratione, ut scribit Aelianus, quod erga lupum sol amorem habere dicatur: eoq́ue animali Apollinem delectari ferunt, quod ipse in lucem æditus feratur ex Latona in lupæ speciē imaginemq́ue cōuersa. Cuius sanè rei & Homerus meminit, cum Apollinem uocitet λυκηγένην, ob eamq́ue rem lupi simulachrum in Delphico templo ex ære positum fuisse legimus. Sed hac de re alij alia, quod & Aurelius Macrobius exequitur. Nunc de annorum magnorum numero uarietateq́ue differendum. Annorum quos magnos uocant, diuersa multiplexq́ue adeò magnitudo obseruata, quàm est autoribus prodita. Nam Aristoteles, ut ab hoc incipiam, hunc annum maximum potius quàm magnum uocauit, quem solis & lunæ uagarumq́ue quinque stellarum orbes conficiūt, cum ad idem signū, ubi quondam simul fuerunt, unà referuntur. quod idem ferè M. Tullius in lib. de fin. bon. & mal. Idq́ue etiam in vi. de Republica ex Scipionis persona: Homines, inquit, annum tantum solis, id est, unius astri reditu metiuntur: re autem ipsa, quum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint: eandemq́ue totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint, *Annus magnus.*

tunc ille uerè uertens annus appellari potest. Hunc autem fieri physici, ut Macrobius scribit, uolũt post annos XV. mil. peractos, mundanusq́ annus nominatur. Plato uero in Timæo perfectũ appellat. Eius autem anni maximi hyems summa est cataclysmus, quem alluuionem uel diluuionem nostri uocant. Aestas uero ecpyreosis, quod est mundi incendium: nam in his alternis temporibus, mundus tum exignescere, tum exaquescere uidetur, ut Censorini uerbis utar. Hũc annum Aristarchus putauit esse annorũ uertentium duum mil. CCCCLXXXIIII. Aretes Dyrachinus quinque mil. DLII. Herodotus & Linus X. mil. DCCC. Dion XIII. mil. DCCCCLXXXIIII. Orpheus centum XX. Cassandrus tricies sexies centum mil. Noster Cicero XII. mil. DCCCCLIIII. Iosephus Hebræus antiq. lib. I. DC. tantum. Iulius, qui & Vilius Firmicus, MCCCC & LX. unius anni circuitu terminauit. Sunt qui cum phœnicis auis uita eius anni cõuersionem fieri scribant. Alij infinitũ esse, nec in se reuerti unquam putauerunt. Alij longe minore spacio magnũ hunc annũ mensi sunt, quippe qui ex duobus annis uertentibus illum constituerint: alij trium, alij quinq́, alij plurium: quorum rationes hic breuiter conabor absoluere. Veteres in Græcia ciuitates cum animaduerterẽt dum sol annuo cur

su or-

ſu orbem ſuum circuit, lunam nouam inter dum terdecies exoriri, idq́ ſæpe alternis fieri, arbitrati ſunt lunares XII. menſes & dimidiatum, ad annũ naturalem cõuenire. Itaq; annos ciuiles ſic ſtatuerunt, ut intercalando facerent alternos XII. menſium, alternos XIII. utrũq; annum ſeparatum uertentem, iunctos ambos annum magnum uocantes. Idq́ tempus trieterida appellabãt, quod tertio quoq; anno redibat: quo in primis tempore Bacchi ſacra celebrabantur, quæ ideo Trieterica uocitata ſunt: & qui in iis uerſus canebantur, τριασμοὶ dicti, de quibus in hiſtoria & dialogis poëtarum egimus. Penteterida uero nominabãt, quod quinto quoq; anno reuertebat̃, qui annus magnus ex quadriennio cõmodior uiſus eſt, quod uidelicet ratione ſolis circuitus congrueret: cuius annus quidẽ ſolis conſtat ex diebus CCCLXV. & diei parte circiter quarta. Penteteridas ergo Græci maximè obſeruabant, id eſt, quaternorum annorũ circuitus, quas Olympiadas uocabant, & ludos Ioui Olympio in Elide celebrabant. Hoc quidem ſcribit Cenſorinus, cui & de Olympiadum numero annorum Solinus in Polyhiſtore aſtipulat̃. Idem & Suidas, & Euſebius, ſi quis eius de tẽporibus libros diligẽtius euoluat. Idem & Hieronymus in Chronico, & in expoſitione hebdomadũ Danielis prophetæ. Iſidorus item

non adeò contemnendus ſcriptor: Et hoc, inquit, certaminis tempus Olympiadem uocauerunt, quadriennio in una Olympiade ſupputato. Iſaacius quoq; in cõmentarijs in poëtam Lycophronẽ, quinquageſimo quoque menſe Olympicum agonem celebratũ prodidit. Hoc ideo pluribus recenſui, quod uideo multos hac de re diſceptare. Non me fugit uulgus & grammaticos quoſdam aliter ſentire, ut Lactantius Cœlius in primo Theb. qui ita ſcribit: Quinto finito anno agon olympicus fiebat. quo loco quarto potius legendum puto, quibus & poëtæ, ſi recte perpendantur, parum ſuffragantur. Ouid. de Ponto ad Brutum:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta eſt,
Iam tempus luſtri tranſit in alterius.

Seneca in Herc. furente:

Qualis elæum coit ad tonantem
Quinta cum ſacrum reuocauit æſtas.

Non enim de perfecto quinquennio agũt, ſed iam incœpto. Ita etiam de luſtro intelligendum, quod ad penteteridis græcæ modum Romani celebrabant: ideóq; ſic uocabatur, ut ait Iſidorus, quod cenſu per quinquennium in Repub. peracto, urbs Roma luſtrabatur. Vel, ut ſcribit Varro, luſtrũ nominatum eſt à luendo, id eſt, ſoluendo, quod quinto quoq; anno uectigalia & alia tributa per cenſores ſoluebantur. A Seruio uero

Luſtrum.

Tullio

Tullio ita institutum, ut quinto quoq; anno censu ciuiũ habito, lustrũ cõderetur, sed nõ ita à posteris obseruatũ. Nam cum inter primum à Seruio rege conditum lustrum, & id quod ab Imperatore Vespasiano v. & Cæs. filio III. COSS. factum est, anni interfuerũt paulominus DCL. lustra tamen per ea tempora non plura quàm LXXV. facta sunt, & postea planè fieri desierunt. Quod si uerum est non plura quàm LXXV. fuisse, nõ uidentur continuata fuisse, id quod & uerisimile est, bellis pręcipue ciuilibus impedientibus, cæterisq; reipub. incõmodis. Rursus tamen annus idem magnus per Capitolinos agones, ut Censorinus scribit, cęptus est diligentius scrutari: quorũ agonum primus à Domitiano institutus fuit, die XII. eius & Sergij Cornelij Dolabellę consulatu. Verũ cum apud Græcos hoc tempus ad solis tantũmodo cursum, nec ad lunę cõgruere uideretur, duplicatum est, & octoëteris facta, quę tunc ἐννεατηρὶς uocitata est, quia primus eius annus nono quoq; anno redibat: huncq; circuitũ uerè annum magnũ esse magna pars Græcię existimauit, quod annis uertentibus solidis constaret, ut propriè in anno magno fieri par est: nam dies sunt solidi uno minus centum, anniq; uertentes solidi octo. Hanc octoëterida uulgò creditum est ab Eudoxo Gnidio institutam ex disciplina Aegyptio-

rum Nectanabo tradente, ut Laërtius prodit. Huius anni apud Lucanum Pharsaliæ lib.x.est mentio, loquente Cæsare in conuiuio Cleopatræ:

Non meus Eudoxi uincatur fastibus annus.

Tametsi Seruius in v.Aeneid. eum primum annum deprehendisse scribit, & post ipsum Hipparchus, de uertente intelligẽs. Sed hãc ipsam octoëterida Leostratũ Tenedium primum ferunt composuisse, & postea alij aliter, qui mensibus uariè intercalandis suas octoëteridas protulerunt, ut fecit Harpalus, Nautelis, Menestratus, item alij in queis Dositheus, cui in primis octoëteris Eudoxi inscribitur. Ob hoc multæ in Græcia religiones hoc interuallo temporis summa ceremonia cultæ fuere. Delphis quoq; ludi, qui uocantur Pythia, post annum octauũ olim cõficiebantur. Post has etiam quæ uocatæ fuerunt Dodecaëteres ex annis uertentib.XII. cui anno Chaldaico nomen fuit, quem Genethliaci non ad solis lunæq; cursus, sed ad obseruationes alias habebant accõmodatũ, quod in eo dicebant tempestates frugumq; prouentus ac sterilitates, itemq; morbos circuire. Præterea fuerũt & alij complures magni anni, ut Metonicus, quem Meton Atheniensis, non Lacon, mathematicus, ex annis uno de uiginti constituit, eaq; causa Decaënneateris, uel ut Suidas & Theophilus, ἐννεα-

Annus Metonicus.

κκι-

καιδεκαέτηρις appellatur, & intercalat̃ septies: in eoq́ꝫ anno sunt dies sex mil. & CCCCXL. Huius anni meminit Cicero in epistolis ad Atticũ: Quis erit, ait, cui credam? aut quando iste Metonis annus ueniet? Metonis meminit & Columella, eiusq́ꝫ anni: item Aristo phanes in Auib. Theon uero, seu qui alius in cõmentarijs in Aratũ poëtam Metonis meminit, illumq́ꝫ numerorũ rationem diligentissimè tenuisse scribit, dicereq́ꝫ solitum affir mat, paruum annum ad magni comparatio nem esse compositũ: nõ tamen illum, sed qui post eum fuere astrologos ait tabulas in urbibus constituisse de decem & nouẽ annorũ solis anfractibus & circuitibus, ut iuxta unumquenq́ꝫ annũ, qualis futura esset hyems, quale uer, qualis æstas, qualis'ue autumnus, nosceret̃, & insuper qui uenti, aliaq́ꝫ pleraq́ꝫ quę mortaliũ usui forent. De Metone quoq́ꝫ diuersa Callistratus, Euphronius & Phryni chus scripsere, eumq́ꝫ & medicum & astrolo gum optimum fuisse. De Metone iam satis. Fuit & Philolai Pythagorici annus magnus, ex annis LIX. in quo erant menses in tercalares XX. & unus. Fuit item Calippi ex annis LXXVI. ita ut mẽses duo de XXX. intercalarẽtur. Fuit & Democriti annus ex annis LXXXII. cum intercalares essent XXVIII. Sed & Hipparchi ex annis CCC IIII. in quo intercalabat̃ centies decies bis.

Hæc annorũ magnitudo discrepat, eò quod inter astrologos nõ cõuenit quanto uel sol plus quàm CCCLXV. dies in anno cõficiat, uel luna minus quàm XXX. in mense. Vnde usq; ad hanc diem, plurima licet sint tradita & quotidie tradantur, nõ congruere tamen planè, alio aliquid indies superaddente uel detrahente, ut iam etiam Ptolemæi tabulæ nedum Alphonsi regis sordescãt: qua etiam de causa ingentia condita sint à plerisq; uolumina, de nostra aberrante ob id Dominicæ (ut nostræ religionis uocibus utar) resurrectionis solennitate. Verum quod restat agamus. Aegyptiorũ magnus annus est, quẽ κυνικὸν Græci, Latini canicularẽ uocant. Nihil hic ad lunã pertinet, propterea quod initium illius sumit cum primo die eius mensis quem uocant Thoth, quo caniculæ sidus apud eos exoritur. Caniculę illi astrum σωθὴμ uocant, ἀστροκυῶνα Græci, idq; principiũ inter stellas tenere arbitrantur, ut scribit Horus Apollo. Iidem annum effingebant deę Isidis imagine, muliebri scilicet specie, uel palmæ plantæ figura: idq; ea ratione, quod arbor hæc luna exoriente, unam gignat bain, quo modo XII. bais annum explet. Baiæ uero dicuntur folia uel ramuli palmarum. Porrò annum suum magnum Aegyptij eodem autore lib. ij. quatuor annorũ habuere, ita referente Philippo, qui Horum ex lingua ægyptiaca

ptiaca in græcam conuertit: Hominem, inquit, qui perfectam ætatem uixerit, mortuæ cornicis imagine effingunt: hæc enim centũ annos uiuere traditur: annusq; ægyptiacus quadriennij ſpacium perficit. hæc ille. Idem fateri uidetur Cenſorinus, qui ſcribit: Aegyptiorũ annus ciuilis ſolus habet dies CCCLXV. ſine ullo intercalari. Itaq; quadriennio eo fit, ut annus MCCCCLX. diebus ad idem reuoluatur principiũ. Hic annus etiã ἡλιακὸς à quibuſdam dicitur, ab alijs ἐνιαυτός. Atq; hactenus de annorũ magnorũ uarietate dictum ſit, deinceps de ſeculo, de genea et indictione agendum, & poſt hæc de annis uertentibus diſſerendi locus erit idoneus.

Seculum quidam idem eſſe exiſtimarunt quod grecè τὸ αἰὼν, quo pacto & ſacra noſtra ſcriptura. Sed de eo nos agimus prout eſt ſpacium temporis definitum. Eſt ergo ſeculum, ut Varro ſcripſit, ſpacium annorũ centum, dictum à ſene, quod longiſsimum ſpacium ſeneſcendorũ hominũ id antiqui putarunt. Alij uero à ſequendo dictum putant, quod ſeipſa tempora ſequantur: primamq; eius dictionis ſyllabam producunt, quidam & diphthongo ſcribũt. Sanè, ut Cenſorinus ait, ſeculum eſt ſpacium uitæ humanæ longiſsimum, partu & morte definitum. Quare qui annos triginta ſeculum putarunt, multum uidentur erraſſe: hoc enim tempus Ge- *Seculum.*

neam uocari Heraclitus & Zeno ſunt autores. Sed de genea quæ in poëtarum hiſtoria prodidi, in hoc etiam pauló poſt breuiter repetam. Seculum autem quid ſit, uſq; ad ſua tempora ad ſubtile non examinatũ fuiſſe putauit Cenſorinus, qui ait poëtas multa incredibilia ſcripſiſſe, puta aurea ſecula, & argentea, aliaq́;, ut Heſiodus & Naſo. nec minus hiſtorici græci, quamuis à uero par nõ fuit decedere, ut Herodotus, apud quem ſe legiſſe ait Cenſorinus (niſi locus ſit mendoſus) Arganthonium Carteſsiorũ regem C & L. annorum fuiſſe, quod tamen ego apud Herodotum haud legi, quod meminerim. Idem tamen & Lucianus in Macrobijs, eundemq́; citat Herodotum, & cum eo Anacreontem Lyricum poëtam. Sed Arganthonij ut longæui & Cicero & Valerius, itemq́; Plinius, Auſonius, Sillius, alij, cum Herodoto. Additur Ephorus, qui tradit Arcadas dicere, apud ſe reges antiquos aliquot ad CCC. uixiſſe annos. Verum hęc fabuloſa prætereunda, niſi annos eorũ trimeſtres intelligamus, ut alio loco referemus. Hoc loco mittã quæ Lucianus multa in eo libello de lõgæuis collegit. Hebræi quoq; ſuum ſeculum, quod illi Olam uocant, quinquageſimo anno definiebant, ut Hieronymus his propémodum uerbis ſcribit: In Hebræo, inquit, ſeculum, id eſt Olam, ubi Vau literam poſitã habuerit, æternitatem

nitatem significat: ubi uero sine Vau scribitur, annũ quinquagesimũ quem illi Iobeleũ uocãt. ob hanc causam & ille Hebræus, qui propter uxorem & liberos amans dominũ suum, aure pertusa seruitio subigitur, seruire iubetur in seculum, hoc est, in annũ quinquagesimũ. Sed ut hoc apud Hebræos ratũ fuit, ita minus apud gentes: atque in primis nõ cõuenit inter astrologos, qui in stellarũ signorumq; motuum ratione, uerũ se scrutari putãt. Nam Epigenes c & XII. annis longissimã uitam constituit, uel ut Plinius dicere uidetur, c XXII. Berosus uero, ut Censorinus scribit, centum & sex, ut Plinius c. & XVII. Alij ad c & XX. annos produci posse asseuerãt, quidam etiã ultra credidere. Fuerunt qui nõ idem putarent ubiq; obseruandum, sed uariè per diuersas regiones, prout in singulis sit cœli ad circulum finitorẽ inclinatio, quod κλίμα dicitur. Sed licet ueritas in obscuro lateat, tamen in unaquaq; ciuitate quæ sint naturalia secula, Rituales Hetruscorum uident apud antiquos docuisse, in quibus scriptum accepimus initia sic ponenda seculorũ: Quo die urbes atq; ciuitates cõstituerentur, de ijs qui eo die nati essent, eum qui diutissimè uixisset, die mortis suæ primi seculi modulum finire: eoq; die qui essent reliqui in ciuitate, de ijs rursum eius mortem qui quamlongissimã egisset ætatem, finem

esse secundi seculi: sic deinceps tempus reliquorum terminari. Sed & quod ignorarẽt homines portenta mitti diuinitus, quibus admonerentur unumquodque seculum esse finitum: hęc portenta Hetrusci pro haruspicij disciplinæq; suæ peritia diligenter obseruata in libros retulerunt. Quare in Thuscis histori js, quæ VIII. eorum seculo scriptæ sunt, ut Varro testatur, & quot numero secula ei genti data sint, & transactorum singula quanta fuerint, quibus'ue ostentis eorum exitus designati sint, continetur. Itaque scriptum est quatuor prima secula annorum fuisse C. & V. Quintum CXXIII. Sextum undeuiginti & centũ. Septimũ totidem, Octauum demum agi, nonum & decimum superesse, quibus transactis finem fore nominis Hetrusci: quod & factum fuit: Nisi & hoc demum tempore nouum inter eos regnum, nescio quo fato, inauspicatum illud quidem constitutum fuisset. Romanorum autem secula quidam ludis secularibus putant distingui: cui rei si fides certa est, modus Romani seculi est incertus. Temporum enim interualla quibus ludi ij referri debeant, non modò quanta fuerint retro ignoratur, sed ne quidem quanta esse debeant scitur. Nam ita institutum esse centesimo quoque anno ut fierent, id tum Antias alijq; historici autores sunt, tum Varro cum

cum alibi, tum de ſcenicis originibus libro primo ita ſcriptum reliquit: Cum multa portenta fierent, & murus & turris, quæ ſunt inter portam Collinam & Exquilinam, de cœlo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos Decemuiri adiiſſent, renunciauerunt, ut Diti patri & Proſerpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hoſtiæ furuæ immolarentur, utq́ ludi centeſimo quoque anno fierent. Sed quod ait Varro portam Exquilinam de cœlo tactam, alij Sabiuſam ſcribunt. Feſtus Terentum locum fuiſſe ſcribit in campo Martio, quo in loco ara Ditis patris in terra occultabatur, & propterea ludi Terentini dicti. Auſonius Gallus poëta:

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Papinius in Syluis:

Aut inſtaurati peccauerit ara Terenti.

Val. Max. libro ſecundo memorabilium aliud tradit ſecularium ludorum initium, à Valeſio quodam uitæ ruſticæ uiro locuplete, qui tribus liberis ut ſuccurreret, oraculum accepit ut Tarentum peteret. Huius poſtea Val. Publicola exemplum ſecutus, apud eandem aram trinoctio ludos fecit. Titus item Liuius libro centeſimo triceſimoſexto: Eodem, inquit, anno ludos ſeculares Cæſar ingenti apparatu fecit, quos centeſimo quoque anno (is enim terminus

ſeculi)fieri mos:utq; decimo centeſimo quo que anno repetantur tam cõmentarij Quindecimuirorum, quàm diui Auguſti edicta teſtari uidentur, adeò ut Horatius Flaccus in carmine, quod de ſecularibus ludis cantatũ eſt,id tempus hoc modo deſignauerit:

Certus undenos decies per annos
Orbis,ut cantus referatq; ludos,
Ter die clara totidemq; grata
Nocte frequentes.

Sed nos de ſeculo ſatis, nam de ludis ſecularibus Politianus in miſcellaneis eruditè plura collegit. Nunc ergo ut polliciti ſumus,de genea nos agamus. γενεὰν Græci uo cant,quã Latini tum ætatem, tum ſeculum uerterunt:ſunt & qui generationem,& præ ſertim in ſacris libris:nam humanæ uitæ ſpa cium cuiuſq; genean nuncupant. Verum au torum pleriq;,ſeptem annorum ſpacium ſignificare cõtendunt,hoc eſt, quas aliàs hebdomadas uocamus. Vnde & Hippocrates & ab eo medici,ante duas geneas pueris uenas incidi nõ oportere præcipiunt,quo pacto fortaſsis de Orphei uita apud Suidam intelligendum: nam ſi aliter exponere uoluerimus, qui fieri poterit ut Orpheus XI. geneas uixerit? Atqui Plutarchus & Zeno, & non ignobiles quidam grãmatici, geneam ſpacium XXX. annorum exiſtimauere,quo pacto etiam Heſiodus & Homerus, & qui

γενεά.

ab his

ab his poëtæ Neſtorem ſcribunt tres geneas uixiſſe, quas noſtri tria ſecula & tres ætates uocauere. Lucianus quoq; in Macrobijs de Tireſia ita fermè ſcribit: Sed & Tireſian, inquit, uatem tragœdia ad ſex uſq; geneas uitam prorogaſſe prodit, id eſt, ad ſex ætates. Xenophon in libello de æquiuocis, de ætate, hoc eſt, genea ita ſcribit: Aetas apud diuerſos diuerſa metitur ſpacia, quia apud Aegyptios ſpacio xxx. annorum perficitur, & apud Grȩcos quartam centenarij partem, id eſt, annos v. & xx. cõtinet. Cenſorinus uero ita ſcribit: Qui annos, ait, xxx. ſeculum putauerunt, multum uidentur erraſſe: hoc enim tempus geneam uocari quidam uolunt, quia orbis ætatis in eo ſit ſpacio. Orbem autem uocant ætatis, dum natura humana ad ſementem reuertitur. Hoc quidem geneæ tempus alij aliter definiuere. Heraclitus annos quinq; & xx. ſcribit dici geneã, Zenon xxx. quibus uerbis uidet error ineſſe. Nam Plutarchus in eo, quo cur oracula defecerunt cauſas inquirit, de ætatibus ſuper Heſiodi uerſibus, geneam ait ex Heracliti ſententia xxx. annorum eſſe, ubi & pleraq; alia, tum illud, quod aliqui centum & octo annorum γενεὰν cõſtituerint, quinquagintaq; & quatuor dimidium eſſe uitæ humanȩ. Reliqua ab eo ſubtilius diſputata miſſa facio. Aurelius Auguſtinus in cuiuſdam

psalmi Dauidici cõmentario geneam existimauit XV. annum non excedere: quidam & XXIX. ut est apud Phauorinũ super Hesiodi uersu de Nestore. Alia præterea multa genea significat, quę Theophilus & alij Græci enumerant: inter quę & illud, quod genea non modò de hominibus dicitur, sed & de equis, & folijs, ut est illud Homericum, quo hominum uitam folijs similem dixit: οἵηπερ φύλλων γενεὴ &c.

Monet me Christiana pietas, ut de anno Iubileo nonnihil & hic congerã. Annus Iobeleus fuit apud Hebræos duntaxat, & demum longo pòst tempore apud Christianos cõstitutus uidetur. Apud Hebræos quidem ex septem annorũ hebdomadibus perfectis, hoc est, quinquagesimo quoq; anno celebrabatur: etenim quadragesimus nonus annus perficit septimã hebdomada: quo quidẽ anno clarius ac sonorius tubæ & buccinæ apud Hebræos resonabant, unde & uocabulum apud ipsos Iobeleus: Iobel enim Hebręi buccinam uocant. Eum annũ interpretatur Hieronymus remissionis: in illo quippe iuxta legem ad omnes antiqua reuertebatur possessio. Huius anni Moses, & ab eo Iosephus, & ab eis Christiani, rationẽ tradidere, quos inter Isidorus, Iubileus, inquit, annus remissionis: est enim Hebraicus & sermo & numerus qui septẽ annorũ hebdomadibus,

id est,

id est, quadraginta & nouem annis texitur, in quo clangebaẽ tubis, & ad omnes reuertebaẽ antiqua possessio, debita absoluebantur, cõfirmabantur libertates. hunc numerũ etiã in diebus pentecostes & nos ipsi celebramus, post domini resurrectionẽ, remissa culpa, & totius debiti chirographo euacuato, ab omni nexu liberi, suscipiẽtes aduenientẽ in nos gratiã spiritus sancti. Hæc uero uerba ab Isidoro ante nostrũ Iubileum cõstitutum scripta sunt: eius enim omnino mentionem fecisset. Institutus autem Iubileus Christianorũ uidetur ad Hebræorum similitudinem, si minus dicere liceat ad gentilis seculi rationẽ: quippe qui à Bonifacio VIII. Romano Pontifice sit institutus centesimo quoque anno, quo tempore annus à uerbo corporato trecentesimus supra millesimũ agebatur: dein à Clemente VII. Pont. ad quinquagesimum reductus, id poscentibus Romanis: mox à Paulo II. ad XXV. redactus, quod hominis ętas ęgrè quinquagesimũ attingat, simul ut largior cœlestium gratiarũ, si non potius pecuniarum prouentus fieret, ut quidam argutè si non uerè scripsit. Celebratus iam bis mea ætate, primũ Alexandro VI. Borgia Pont. Rom. M. D. anno: & iterum Clemente VII. Medice M. D. XXV. quo ego tempore Romæ eram cum Herculе Ragon. S.R.E. sanctæ Agathæ diacono

Card. cuius pòst anno secũdo Roma ab exercitu Imp. Caroli V. Cæs. direpta est. Scribit Theodoricus Niemensis in historia schismatica, uariatum fuisse tempore Vrbani Sexti in Iubilei ætate: cum enim schisma irrepsisset in Christi ecclesia, is Pont. Vrbanus nouissimo sui pontificatus anno, qui fuit M. CCC. LXXXVIII. Iubileũ XXXIII. annorum indixit, qui & celebratus est, eo licet ipse tẽpore decesserit. Et hactenus de Iubileo.

Indictiones. Sunt & Indictiones hoc præsertim tempore in usu, cum primis apud publicos scribas & Notarios: dictæ, ut nõnulli existimãt, ab eo quod Romani cum rerum potirẽtur, tributũ à subiectis nationibus indicebant, etiam, ut aiunt, ante CHRISTI aduentũ institutæ: quippe ut scribit Dionysius in suo calculo, tum quarta agebatur indictio, cum ipse natus est CHRISTVS, quod & Bedas repetit. Sunt qui Augustum Cæsarem scribunt indictiones primum instituisse, Olympiade CLXXXXIIII. anno eius primo, incipiente octauo calend. Octobris, hoc est, XXIIII. Septembris, quo etiam tempore Olympiadum anni initium habere traduntur. Indictiones uero XV. annorum circuitu in sua semper uestigia reducuntur, quas antiqua Romanorum industria cõperimus ad cauendum errorem, qui de temporibus fortè oboriri poterat, institutas. Dum enim,

uerbi causa, quilibet Imperator medio anni tēpore uita uel regno decederet, poterat euenire ut eundē annū unus historicus eiusdem regis adscriberet tēporibus, eò quod eius partē regnaret: alter uero historicus eundem successori illius potius adscribendū putaret, eò quod & hic partem æquè eius haberet in regno. Verum ne per eiusmodi dissonantiam error temporibus oboriretur, statuerūt Indictiones, quibus uterq; scriptor, imò etiam uulgus, omnem temporum cursum facillimè seruaret: quas pro facilitate quoq; calculi, XV. esse uoluerunt, ut planissimo numero ex denario & semis ad multiplicandum promptissimo, compendiosius transacti temporis status in memoriā posit reduci. Quidam autem putant, quia quondam in Repub. post censum quinto quoq; anno peractum urbs Roma lustrabatur, ad indicium ternæ lustrationis & census, Indictiones esse conditas. Fortunatianus Consultus Afer, cuius Hieronymus, & ab eo Sophronius meminere, qui rationem Indictionum conscribit, nullam huius rei mentionē facit. Mirum & Isidorū ne uerbum quidem de Indictione fecisse. Sunt tamen ex ecclesiasticis scriptorib. qui rem ita tradant: Romanos, aiunt, cum non facile ex longinquis regionibus possent nationes Romam uenire ad tributa soluenda, statuisse, quod singu

lis ſaltem luſtris ea deferrent: & primo quidem luſtro ferrum, ſecundo argentum, tertio aurum. Et quoniam ſemper ab auro ad ferrum redibant, ideo indictiones XV. annorum conſtitutas, qui circulus quaſi quidam eſſet. Qua de re cum uetuſtos autores non habeam qui hoc tradant, eius rei fides penes ſit ſcriptores eccleſiæ. Indictiones autem ſcribæ & tabelliones imperialis autoritatis incipiunt ab VIII. calend. Octobris, & eodem die terminantur, hoc eſt, XXIIII Septembris. Qui uero Romanorũ Pont. autoritate nituntur, VIII. calend. Ianuarij eas inceptant, ut cõueniant cum annis natiuitatis Chriſti: ea autẽ ratione ſcribit Ambroſius, quod menſis Septembris apud pleroſq;, & in primis Aegyptios, anni ſit principiũ. Hoc autem argumento, quota ſit in quolibet anno indictio, cognoſcere poſſumus. Si annos ſumemus à Chriſti ortu quotquot fuerint, puta M.D.XXXIX. his tres adde, quia (ut diximus) natus eſt Chriſtus indictione quarta, fiunt M.D.XLII. Hos partire per XV. uides quod XII. ſuperãt: ergo is numerus, uidelicet XII. erit indictio: ſi uero nihil ſupererit, ipſe XV. numerus erit indictio. Hoc quidẽ diſticho tota hæc ratio breuiſsime continet:

Indictio anni cuiuslibet quomodo cognoſcenda.

Si tribus adiunctis domini diuiſeris annos,
Ter tibi per quinos indictio certa patebit.

Nunc, ut exequamur ordinem, annus uer-

tens

tens à nobis est describendus, qui ἔτος & ἐνιαυτὸς à Græcis dicitur: quinetiã & χρόνος uocatur, quem ita M. Psellus in lib. ἀστρολογικῶν ἀποῤῥημάτων definit: χρόνος γάρ ἐστι ἡ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου πρὸς τὸ αὐτὸ σημεῖον μία καὶ αὐτὴ κατὰ τὸν οἰκεῖον δρόμον τοῦ ἡλίου πλαγία κύκλωσις. hoc est: Chronos est ab uno signo ad illud ipsum signum una atq; eadem secũdum proprium cursum solis obliqua circuitio. Victruuius uero lib. architecturæ ix. Sol, inquit, signi spacium, quod est duodecima pars mundi, mense uertente uadens transit: ita XII. mensibus XII. signorũ interualla peruagãdo, cum redit ad id signum unde cœperit, perficit spaciũ uertentis anni. Sed & hoc idem breuius Censorinus: Est, inquit, annus uertẽs, dum sol percurrens XII. signa, eôdem unde profectus est redit. Hoc quidem tempus quot dierum esset, ad certum nondum astrologi reperire potuerũt, multa licet multi commenti sint. Nam Philolaus Pythagoricus annum naturalem dies habere existimauit CCCLXIIII. & dimidium. Aphrodus CCCLXV. & dierum duorum & uiginti partem undesexagesimam. Harpalus autem CCCLXV. & horas æquinoctiales XIII. Thales Milesius CCCLXV. dierum. At Hipparchus ab Alexandri morte anno CLXXVIII. scribens, ex suis & Chaldæorũ obseruationibus minus quarta parte diei adijciendũ supputauit: uerũ quan

Annus uertens.

tum illud esset quod deficeret, ad liquidũ nõ exegit. Noster autẽ Ennius CCCLXVI. dierum spacio annũ determinauit. Ptolemæus Hipparchus posterior, annis CCLXXXV. trecentesimã esse illam diei partem quæ superat existimauit. Claud. Galenus credidit annũ constare diebus CCCLXV. & particula quadam, quæ quadrante maior sit. Non tibi hoc loco Arabũ opiniones afferam, Albategni, Thebithi, cæterorum. Vectius Antiochenus in antilogijs annum definit CCCLXV. dierum & unius septimæ. Nostri quidam diligentes hoc tempore astrologi, CCC quidem & LXV. dierum annũ constare contendunt, & horis quinq;, minutijsq; XLIX. adeò ut singulo quadriennio minutiæ XLIIII. superfluò intercalentur, quæ in centũ & XXX. annorum spacio ferè diem unum conficiant, quæ res sit multi erroris causa. His adde & illud, quod uideo à plerisq; pro comperto haberi, annos omnes nõ æquales esse, quod citius interdum, interdum serius sol ad locum unde digressus erat, redit: quo fit ut sint qui omnino annũ incomprehensibilem & innumerabilem esse existimarint. Sed certè maiores pro uero, quod ei proximum putabant, amplexi sunt. Sic antiqui, ut Plinius & Macrobius scribunt, Iani signũ ita formabant figurabantq;, ut dextra quidem CCC. sinistra uero LXV. effingeret: etsi qui-

quidā nō LXV. sed IIII. & L. duntaxat frigido quodam argumento persuadere conati sunt. Berosus quoq; Babylonicus, cui in gymnasio, ut ait Plinius, Athenienses statuam inaurata lingua posuere, in antiquitatum libris scriptum reliquit, Noah Armenios & Scythas docuisse astrorum cursus, & annū distinxisse ad solis cursum, & XII. menses ad motum lunæ, & cætera quæ in eius lib. 3. leguntur. Igitur cum tanta fuerit inter doctissimos dissensio, quid mirum si anni ciuiles, quos diuersæ ciuitates rudes etiam tum sibi quæq; statuebant, tam inter se discrepent, q̄ cum illo naturali nō congruant? Nam ut est apud Plinium, annum alij æstate unum determinabant, & alterum hyeme. alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuerūt. quidam lunæ senio, ut Aegyptij. Plutarchus quoq; in Numa ita ferè de Aegyptiorū annis scribit: Aegyptijs, inquit, menstruus annus fuit, dein quadrimestris, ut aiunt: quare qui uel nuperrimè eam regionem incoluerunt, uetustissimi esse uidentur, annorumq; incredibili multitudine in familiarū deductionibus differunt, quippe qui menses in numerū annorū collocent. Idem fermè Plinius & Augustinus, qui Aegyptij quoq; sacerdotis annos ex Alexandri Magni epistola ad Olympiadē matrem, eadem ratione redarguit. Xenophon

Aegyptiorum annus.

quoq;,quisquis is est qui de æquiuocis libellum composuit(neq; enim cõuenit cum Xenophonte Socratico)ita de Aegyptiorũ annis scribit: Annus,inquit, diuersus est. Etenim Aegyptij utuntur anno quãdoq; menstruo,sæpe bimestri,non raro trimestri,sæpe quadrimestri,nonnunq̃ solari. quę uarietas ex nostris qui ab eis literas habuerũt sapientes coëgit aberrare. Sed & Censorinus ita inquit: In Aegypto antiquissimũ ferunt annũ bimestrem fuisse,pòst deinde à Pisone,uel ut rectius alij legunt,Phierone rege quadrimestrem factum: nouissime annũ ad XII. menses & dies quinq; produxisse: id quod & lepido carmine in Vrania etiam Pontanus ostendit:

Dicendum & uarijs fuerit qui gentibus annus.
Aegypti primum ueteres fecere bimestrem,
Moxq; quater geminis complerunt mensibus, inde
Per bissena pari duxerunt sydera tractu.

Quare mirũ est Macrobiũ ita scripsisse: Anni certus modus apud solos semper Aegyptios fuit. quod tamen & Herodotus scribit in ij. hist. Heliopolitanos, qui feruntur inter Aegyptios solertissimi, dicere solitos, Aegyptios ipsos primos annum statuisse, eumq; in duodecim menses distinxisse, idq; ex astris cõperisse diligentius q̃ Græci, quod Græci tertio quoq; anno intercalarẽ mẽsem introducãt: at uero Aegyptij tricenis LX. diebus qui-

quibus XII. menses taxant, adijciũt quotannis quinos dies. Idem fermè Diodorus Siculus, qui Thebæis id tribuit. Idem scribit & Strabo. Hebræi uero annum, ut Theophilus & Suidas tradunt, numerãt ad lunę cursum. Scribit Iosephus, & pluribus disputat Aurelius Augustinus, apud Hebræos semper annum fuisse XII. mensium. Iidem etiamnum annum XII. mensibus lunaribus metiũtur. Verum tertio quoq; anno XIII. mensiũ annum constituunt, atq; ita per embolismũ intercalationémue adæquant tempora: nam & ipsi XII. habent mensiũ uocabula, ut suo loco pluribus ostendemus. Sed cum intercalaris annus est, Februarium bis enumerant, priorem quidem Adar appellantes, secundũ uero Veadar, quasi dicas, & Adar, hoc est, & etiam Februarius. Arcades autem in Achaia trimestrem annũ primũ habuisse, etiam Censorinus dicit, & ob id προσέληνοι uel προσέληνοι appellant, ut Cic. in Fundaniana. Statius: Arcades astris lunáq; priores. Pontanus: Arcades antè Iam geniti q̃ luna suos ostenderit ignes. ut Seruium mittam & Lactantiũ grãmaticos. Sunt qui scribant Hippum Rhegynũ primũ Arcadas hoc uocasse nomine, non, Censorinus ait, ut quidam putãt, quod antè sint nati quàm lunæ astrum in cœlo esset, id enim ridiculum, sed quod prius habuerunt annum, quàm is in Græcia ad lunę cur

ſum conſtitueretur. Sunt qui putent Horon trimeſtrem annum inſtituiſſe, eoq́ue uer, æſtatem, autumnum, hyemem, ὥρυς, & annum dici, & græcos annales ὥρυς, & eorum ſcriptores horographos. Itaq; quatuor annorũ circuitum in modum penteteris annum magnum dicebãt, id eſt, annum uertentem. Ad hæc Cares & Acarnanes ſemeſtrem annum habuerũt, ut Cenſorinus & Solinus tradũt. Scribit Xenophon in æquiuocis, Iberis annum fuiſſe quadrimeſtrẽ ut plurimũ, rariſsimè ſolarem. Tum ſubdit: Chaldæi cum in antiquitate diſciplinarũ ſuarum utantur menſtruo anno, in cæteris ſemper ſolarem ſe intelligere fatentur. Addit & inſcriptionem columnæ Semiramidis, quam progenitoribus illa erexerat, idem comprobare. Perſæ, ut Q. Curtius ſcribit, totidem dierum annũ, quot nunc habemus, ad Alexandri tempora habuere. Nam Magi, inquit, proximi patrium carmen cantabant, & CCCLXV. iuuenes ſequebantur Punicis amiculis uelati, diebus totius anni pares numero, quippe Perſis totidem dieb. deſcriptus eſt annus. Sed & Græcos ita habuiſſe non modò ſuprà ex Thalete Mileſio, ſed & Cleobuli illud ænigma oſtendit, quod in ænigmatum libello ad Io. Th. Picum attulimus. Idem & ſignificant Demetrij Phalerei quę dicatę fuerẽ ſtatuę CCCLX. nondum, ut ait Plinius, anno hunc dierum nume-

numerum excedente. Reliqua Græcia CCC LIIII. dierum annum proprium constituebat, quo pacto & Arabes etiamnum, ut Alphraganus eorum scriptor tradit. In Italia uero Lauinij XIII. mensium annum habuere, ut testis est Solinus, qui CCCLXXIIII. diebus complebatur. Porrò Ferentini annũ alium habebant, alium Albani, alij alium, adeò ut ita hac de re Pontanus in Vrania cecinerit:

Nanque alium primo Romæ nascentis in ortu
Instituit pater, & gyro breuiore coëgit.
Promouit spacium Numa, nec Laurentibus idem,
Idem erat Albanis, alium qui Tyburis arua,
Quíq; Ferentina Cererem metit incola falce,
Et tenuere suis habuereq; in urbibus orbem.

Sanè nec illud nos ignorare oportet, Planetarum, hoc est, uagarum stellarũ circuitus, cum scilicet certo loco in eundem locũ redeunt, annũ suum efficere. Nam Veneris annus & Mercurij penè solari pares. Martis uero annus ferè bienniũ occupat. Iouis annus solares XII. Saturni XXX. annorum solarium esse Astronomi ostendunt. Demũ lunaris annus quadrifariã accipitur: primus est cum luna XXVII. diebus & horis octo signiferũ percurrẽs, ad id signũ ex quo egressa est reuertitur. Secũdus est diebus duobus & horis quatuor prolixior, qui ex usu mensis appellatur, cum solem à quo noua digressa *Planetarum annus.*

eſt XXIX. & XII. horis exactis, iam defecta repetit. Tertius, qui XII. menſibus huiuſmodi, id eſt, diebus CCCLIIII. expletur, & uocatur annus cõmunis. Quartus eſt qui Intercalaris & Embolimus dicit, id eſt, interiectus, & XIII. menſes habet, & dies CCCLXXXIIII. Nec illud quoq; ignorandũ, annũ ciuilem uocari, quẽ pro arbitrio populi ſeu gentes ſibi ſtatuere. Naturalem uero, qui siderũ curſu colligitur: qui & uertens, & ſolſtitialis dictus eſt. Sed cum tanta ſit anni ciuilis uarietas, omnes tamen ad uerũ illum & naturalem annum intercalando quoquo modo corrigere ſtuduerunt, de quibus nõ multo pòſt agemus. Nunc ad Romanorũ annũ trãſibo. Titus Liuius in primo ab Vrb. cõd. Numam Pompilium ait primũ apud Romanos ad curſum lunæ annũ in XII. menſes deſcripſiſſe: quem, quia tricenos dies ſingulis menſibus luna nõ expleret, deeſſent'q; dies ſolido anno qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſibus interponendis ita diſpenſaſſe, ut XXIIII. quoq; anno, uel XX. potius, ut caſtigati codices habent, ad metã tandem ſolis, unde orſi eſſent, plenis annorũ omniũ ſpacijs dies congruerent. Sed rem totã hanc copioſius Plutarchus in Numa, nos inſtitutũ ſequamur. Annũ uertentẽ Romæ Licinius quidẽ Macer, & poſtea Feneſtella, ſtatim ab initio XII. menſiũ ſcripſerũt: quibus aſtipu

Annus ciuilis.

Naturalis.

aſtipulari alicubi uidet Plutarchus, qui, Ro mulo, inquit, regnante, præter ratione & or dinem menſibus utebantur Romani: alios enim menſes neq; dierũ xx. alios quinq; & xxx. nõnullos uero pluriũ cõputantes: co gnitionẽq; lunæ aut ſolis inæqualitatis nullam habebant, ſed dies tantũ anni CCCLX. obſeruabant, menſibus ſcilicet XII. Hoc qui dem in uita Numæ. Idem fermè repetit in quæſtionibus, dum cauſam inquirit, cur Ianuarius principiũ ſit anni, & December ulti mũ: Ex quo, inquit, nõnulli opinati ſunt ueteres Romanos nõ XII. ſed X. menſiũ annũ cõpleſſe. Mox ſubdit: Mutatũ tantum anni principium, cum prius Februarius ultimus eſſet, ut is qui parentationibus dicatus eſſet. Sed magis Iunio Gracccho, & Fuluio, & Var roni, & Suetonio, aliĳſq;, ait Cenſorinus, cre dendũ eſt, qui X. tantũmodo menſiũ annũ putauerũt, ſic à Romulo inſtitutũ. Ita & Ouid. poëta quoq; narrationẽ Faſt. exordit:

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinq; bis eſſe ſuo.

ea uidelicet ratione, q̊d & mulieres totidem menſes ferant, totidemq; funeris luctus pro duceretur, & tot in manibus digiti. Romulum autem eum menſium numerũ ab Albanis accepiſſe proditum eſt. Nam & ab Alba nis orti ſunt Romani: hi uero X. menſium annum habuere, hoc eſt, dierum CCCIIII.

hoc modo: Martium dierum XXXI. Aprilem XXX. Maium XXXI. Iunium XXX. Quintilem XXXI. Sextilem & Septembrem XXX. Octobrem XXXI. Nouembrem & Decembrem XXX. Quorũ quatuor maiores pleni, cæteri ſex caui uocabantur. Et hęc quidem fuit Romuli ordinatio. Verum cum hic numerus neq; ſolis curſui, nec lunę rationibus conueniret: & nonnunq̃ uſu ueniret, ut frigus anni æſtiuis menſibus, & cõtrà, calor hyemalis proueniret, quod ubi cõtigiſſet, tantum dierum ſine ullo menſis nomine patiebantur aſſumi, quantũ ad id anni tempus adduceret, quò cœli habitus inſtanti menſi aptus inueniretur. Quod & Seruius in Georg. his uerbis: Duo, inquit, menſes propter rationem ſignorum anni intercalabantur, qui poſtea à Iano & Februo nominati ſunt. Poſtea uero ſiue à Numa, ut uult Fuluius nobilior & T. Liuius, ſiue ut Iunius Gracchus à Tarquinio XII. facti ſunt menſes, & luna XII. ſuis menſibus CCCLIIII. dies tantũ uideretur explere, placuit ut dies unus abundaret: quod aut per imprudentiã accidit, aut quod magis creditur, ea ſuperſtitione, qua impar numerus quàm par, plenus ac magis fauſtus haberi etiam ex Pythagorę inſtituto creditum eſt: certè ad annũ priorem Romuli unus & L. dies acceſſerunt: qui quia menſes duos non implerent, ſex ijs cauis

uis mensibus sunt singuli detracti, & ad eos additi factiq; dies LVII. & ex ijs duo menses, Ianuarius undetriginta, & Februarius duodetriginta dierum, atque omnes menses pleni & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario, qui solus cauus & par, & ob hoc cæteris infaustior est habitus. Sic annus habere quinq; & quinquaginta & CCC. dies cœpit. Postmodum cum etiã perspicerent temerè annum diuisum, & appareret solis meatum non ante CCCLXV. diem, abundante insuper quadrantis particula, Zodiaci cõficere decursum: ut quadrãtis particulã illam & dies X. adderẽt, intercalarium mensem XXII. uel XXIII. dierum alternis annis addere placuit, ut ciuilis annus ad naturalem exæquaretur in mense potissimum Februario inter Terminalia & Regiffugium: qui mensis intercalarius dicebatur, & ita apud scriptores pronunciatum uidemus. Liuius lib. 7. de bello Macedonico, cum de Scipionis Asiatici triumpho agit: Triumphauit, inquit, mense intercalario pridie calend. Martias. Sic & cæteri scriptores. Sed hic congruus locus uidet ut de intercalatione agamus, unde scilicet dicta, & quando, & quomodo, & à quibus inducta, tum demũ qui hodie eius sit usus: Intercalo igitur uerbum, à καλῶ uerbo grçco, quo priscos latinos usos esse uidemus, à quo & calendę, *Intercalo.*

& curia Calabra deducuntur, & significat interuoco, uel intercino. Liuius: Vt intercalatæ pœnæ usuram habeant. Intercalabãtur autẽ, hoc est, interuocabantur nominabantúrue dies seu menses à Pontifice, qui anno essent adijciendi, demendi'ue (uariè enim traditur) ut lunaris circuitus solari cõueniret. A qua similitudine & uersus intercalares dicuntur, qui in poëmatibus intercinunt, quales sunt Theocriti, Vergilij, Catulli, & Calphurnij, aliorum'q;. Sic dies uel menses interiecti, ut lunæ tempus soli cõgrueret, intercalares uocati, quos & Mercedinos dictos Plutarchus ait in Numa & in Cæsare, licet aliquãdo perperàm Mercedonios in peruulgatis græcis & latinis exemplarib. legatur. Alij intercalo, intersero uel interpono, alij eximo interpretantur, sed qua illi ratione uiderint: rei enim effectum potius, quàm uerbi uim attendisse uidentur. Quando uero, & à quibus, & quomodo inductæ sint intercalationes, diuersa ac uaria diuersi, uarijs etiam de causis tradidere. Nam Aegyptij, ut ab his incipiam, tricenum dierum cum omnes habeant menses, CCC & LX. tantum anni dies habent: hinc explicitis XII. suis mensibus, id est, CCC. illis LX. diebus exactis, inter Augustum atq; Septembrem, hoc est, inter Mesori & Thoth, inter scilicet nouissimũ anni sui mensem, & sequentis primum, reliquos

quinq;

quinq; dies ſolaris circuitus anno inſerunt. Quarto inſuper quoque anno, diem eodem loco intercalarem, qui ex quadrantibus cõſit, annectunt. Hæc fermè apud Macrobiũ Horus, cui conſonat Bedas: ſed & Herodotus, & Diodorus, item Dion & Strabo. Hebręi quoque cum annum, ut iam dictum eſt, ad lunæ curſum habeant, tertio quoque anno menſem intercalant, & XIII. menſium annum conſtituunt, addito ſcilicet intercalari menſe poſt Adar, quem nos Februarium appellamus, qui Veadar dicitur ab eis, quaſi tu dicas, & Adar, hoc eſt, & Februarius. Non me præterit apud antiquos Hebræorũ patres, aliam fuiſſe emboliſmi rationem ab hac longe diuerſam, quam ideo miſſam facimus, ut ad græcam & noſtram properemus. Græci quidem, ut Solinus ſcribit, ſingulis annis XI. dies & quadrantem detrahebant, eosq; octies multiplicatos in annum nonum reſeruabant, ut contractus nonagenarius numerus, in tres menſes per tricenos dies ſcinderetur, qui anno nono reſtituti efficiebant dies CCCCXLIIII. quos ἐμβολισμοὺς uel ὑπερβάλλοντας, uel, ut eſt apud Macrobium, ὑπερβαίνοντας nominabant, hoc eſt, interiectos, ſuperiectos, & ſuperuenientes. Quidã et ἐμβολίμους et ἐμβολιμαίους dicũt, et ἐμβάλλειν et παρεμβάλλειν uerba, quę intercalare et inſerere ſignificãt: et παρεμβολὴ intercalatio,

ut nonnulli putant. De hac autem interca-
landi ratione exactius ſcribit Macrobius, ut
mihi quidem uidetur. Intercalabãt quidem,
ut Glaucippus tradit, quem Macrobius &
Theodorus ſequuntur, ultimo anni ſui men
ſe, hoc eſt, ante ſolſtitij menſem. Alium præte
rea apud Gręcos intercalandi modum apud
M. Tullium legimus, qui ita in iiij. lib. in Ver
rem ſcribit: Eſt conſuetudo, inquit, Siculorũ
cæterorumq́ꝫ Græcorũ, quod ſuos dies men
ſesq́ꝫ congruere uolunt cum ſolis lunæq́ꝫ ra-
tione, ut nõnunquam ſi quid diſcrepet, exi-
mant unum aliquem diem, aut ſummũ bi-
duum ex menſe, quos illi ἐξαιρεσίμους dies no-
minant. Item nonnunq̃ uno die longiorem
menſem faciunt, aut biduo. Hęc quidem M.
Cic. totidem uerbis. Vocãtur autem ἐξαιρεσί-
μοι, quaſi tu dicas exemptiles. Sed & aliam
Græcorum intercalandi rationem Herodo
tus ab his diuerſam attulit, cuius & retro me
minimus, in qua ſe planè Gaza non explicat.
Quibus omnibus ex rebus conſpicimus, nõ
eandem ſemper fuiſſe apud Græcos interca-
landi rationem: quod & Libanius docet in
eius argumento orationis Demoſth. quæ
κατ' ἀνδροτίωνος inſcribitur. Idem & noſtris
contigit. Nam cum ſæpe eueniret ut nundi-
næ modo in anni principem diem, modo in
nonas inciderent, idq́ꝫ uitium perniciosum
Reipub. uideretur, remedium quo hoc auer
tererur

teretur excogitatum eſt. quod intercalandi initium quando contigerit, & à quibus, uariè refertur. Macer enim Licinius intercalationis originem Romulo aſsignauit. Antias lib. 2. Numam Pompilium ſacrorũ cauſa id inueniſſe contendit. Iunius Seruiũ Tullium regem primũ intercalaſſe cõmemorat, à quo & nundinas inſtitutas Varroni placet. Tuditanus refert lib. 3. magiſtratuũ, Decemuiros qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogaſſe. Caſsius eoſdem ſcribit autores. Fuluius id egiſſe M. Conſulem dicit ab urbe cond. anno DLXII. inito mox bello Aetolico. Sed hoc arguit Varro, ſcribendo antiquiſſimã legem fuiſſe inciſam in colũna ærea à L. Pinario & Furio COSS. cui mentio intercalaris adſcribitur. Cum igitur incertum ſit à quibus primũ intercalatũ ſit, obtinuit tamen, teſte Plutarcho & Liuio, ut à Numa rege ferè credatur. Sed cum Græcorum ordinem Romanis imitari placuiſſet, fruſtra eis contigit: fugit enim eos, diem unum additum ad græcum numerum in honorem imparis numeri, cuius antè meminimus: quare per octennium cõuenire numerus atq; ordo non poterat. At cum nondum errorem comperiſſent, per octo annos XC. græco modo cõputabant dies, alternisq́; annis binos uicenos, alternis ternos ac uicenos, atq; ita intercalationibus quatuor, XC.

numerum cõficiebant. Verũ octauo quoq; anno dies octo illi effluebant, qui additi fuerant ad græcum numerum: quem errorem cum cognouissent, ita emendarunt. Tertio quoque octennio ita intercalandos dies dispensabant, ut nõ XC. sed LXVI. dies intercalarent, compensatis XXIIII. diebus totidem annis superadiectis ad græcorũ numerum. Iam uero monstrandum uidetur qui mensis intercalationi sit deputandus. quod cum in anni fine facilius fieri conspiciamus, ut etiam Aegyptios, Hebræos & Græcos intercalare solitos iam diximus, prisci Romani, quoniam annum à Martio inceptabant, Februarium intercalationi, quod is esset ultimus anni, deputarunt, inter Terminalia & Regisfugiũ, ne scilicet sacra impedirẽtur. licet Ouid. Terminalia nono calend. & Regisfugium VII. calen. Martias cõstituere uideatur. Rectius ergo Bedas & alij qui hoc V. illa VII. calen. celebrata asserunt. Quare post XXIII. Februarij diem intercalabant: deinde, ut & nos hoc tempore de bissexti die facimus, post intercalationem reliquos Februarij mensis dies, qui erant quinq;, subiungebãt, uetere ea religione, ut Macrobius credit, ut Februarium omnino Martius sequeretur. Quam rationem cum & nostri pontifices hoc tempore per manus traditam obseruẽt, Astrologi quidam negocium sibi fieri non

ri non paruum aiunt, cum Februarius amplius non sit anni finis: nosq; in Decembris fine potius intercalare debere. Sed tamen Rituales nostri antiquam malunt, quàm horũ normam sequi. Atque hactenus quidem de uetere intercalandi ratione. Verum, inquit Macrobius, tempus fuit cum propter superstitionẽ intercalatio omnis esset omissa: unde, ait Censorinus, Pontificib. datum esse negocium, eorumq; arbitrio intercalandi rationem permissam, ut delictũ corrigeretur. Sed horum pleriq; ob odium, uel quò quis magistratu citius abiret, diutiúsue fungeretur, aut publici redemptores anni magnitudine in lucro damnóue essent, plus minúsue ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendũ mandatam uitiose deprauarũt: quod etiam Macrobius & Solinus affirmãt. Quibus autoribus planum fit, cur Cælius in familiaribus lib. 8. scribat: Leuissime Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populũ, & pro Cæsare loqui cœpit &c. Gallorum uidelicet captus spolijs, ut ait Luca. poëta, & Cæsaris auro. E diuerso in epistolis ad Atticum, M. Tull. Atticum rogat, ne sibi intercaletur quid: idq; nec semel facit, ne scilicet sibi prouincia prorogetur. Hoc autem intercalandi uitio adeò est aberratum, ut Cæsar Dictator coactus fuerit annos ad solis cursum singulos dirigere, adhibito, ut

ſcribit Plinius, Soſigene eius ſcientię perito: & ea ipſa ratio poſtea comperto errore correcta eſt, ut planius infrà aperiemus, ita ut XII. annis cõtinuis nõ intercalaretur, quia cœperat ſidera annus morari, qui prius antecedebat: & Soſigenes ipſe tribus cõmentationibus, quanquam diligentior cæteris, nõ ceſſauit tamen addubitare ipſe ſemet corrigendo. hæc Plinius. Macrobius uero ait, Cæſarem ipſum omnẽ quidem hanc inconſtantiam temporũ uagam & adhuc incertam, in ordinẽ ſtatutæ definitionis coëgiſſe, ſibi annitente M. Flauio ſcriba, qui ſcriptos dies ſingulos ita ad Dictatorem retulit, ut & ordo eorum inueniri facillimè poſſet, & inuento certus ſtatus perſeueraret. Sed ut res planius conſtet Cenſorini uerba afferam: Adeò aberratum eſt, inquit, ut Caius Cæſar Pont. Max. ſuo tertio, & M. Aemylij Lepidi conſulatu, quò retro delictum corrigeret, duos menſes intercalares dierum LXVII. ut ſcribit Dion in hiſtoria, licet alij uelint LXVIII. uel ut alij legunt LXIIII. in menſem Nouembrem & Decembrẽ interponeret, cum iam menſe Februario dies III. & XX. intercalaſſet, faceret'que eum annum dierum CCCCXLV. uel ut Macrobius ſcribere uidetur, CCCXLIII. qui & hunc ipſum annum appellat confuſionis. Solinus uero intercalares anni huius dies numerãs ut exemptos
ex

ex anno, solũ CCCXLIIII. dies habuisse ait. Sed Suetonius XV. mensium hunc annum fuisse scriptum reliquit, cuius uerba paulò pòst referemus, utcunq; Caius Cæsar simul prouidit, ut tradit Censorinus, in futurũ ne iterũ erraretur. Nam intercalario mense sublato, annum ciuilem ad solis cursum formauit: itaq; diebus CCCLV. addidit X. quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Ianuario & Sextili & Decembri, bini accederent: cæteris, hoc est, Aprili, Iunio, Septembri & Nouembri, singuli: eosq; dies extremis partibus mensium apposuit, ne Nonarum aut Iduum religionem, quę statuto erat die, nouella comperendinatione corrũperet. Sed nec post Idus uoluit inserere, ne feriarum quarunq; uiolaretur indictio. Quapropter cũ in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quatuor tamen illi ita primitus instituti eo dignoscuntur, quod nonas habent septimanas, cæteri omnes reliqui quintanas. Præterea pro quadrante diem, qui annũ uerum suppleturus uidebatur, instituit, ut peracto quadriennij circuitu, dies unus, ubi mensis quondam solebat, post Terminalia intercalaretur, quod nũc bissextũ uocatur. Quam omnẽ rationẽ mirũ est, quàm solo disticho poëta ingeniosissimus lib. iij. Fast. cõcluserit: ita enim ait:

Is decies senos tercentum & quinq; diebus

Iunxit, & è pleno tempora quarta die.

Hoc loco & illud addit Dion hist. libro xliij. Diem illum, inquit, qui ex quadrantib. conficitur, in quartum annum computauit, sic adeò, ut horæ nisi in minimo ac tantillo discordarent: nam in MCCCC. uno & sexagesimo anno, unus est duntaxat dies intercalandus. quam quidem anni correctionē, Cęsarem ipsum cōprehendisse ait, quod in Aegypto & Alexandria sit diuersatus. Ex hoc igitur anno ita à C. Cæsare ordinato, ad suā

Anni Iuliani. usq; memoriam, scribit Censorinus, Iuliani anni appellabantur, qui etiam si nō optimi, soli tamen ad annum naturæ adaptati sunt. De his & Tranquillus Suetonius in Cæsare: Fastos, inquit, correxit, iampridē uitio pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, ut neq; messium feriæ æstati, neq; uindemiarum autumno competerēt: annumq; ad cursum solis accōmodauit, ut CCCLXV. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoq; anno intercalarēt. Quo autem magis in posterum è calend. Ianuarijs nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem mensem interiecit duos alios: fuitq; is annus quo hęc constituebantur quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat. Et hæc quidem Suetonius. In hoc uero Cæsar est imitatus Aegyptios, ut

ut Macrobius &Appianus ac Dion ſcribūt. Hoc loco illud iure in diſquiſitionē à pleriſque trahitur, quas M. Cic. intercalares cal. ſignificare uoluerit, cum in epiſtola ad Q. Ligarium ſcripſit: Ego idem tamen, ait, cum ad II. calen. intercalares priores rogatu fratrum tuorum ueniſſem mane ad Cæſarem. & reliqua. Quo loco etiam notandū eſt Ciceronem ad II. calend. dixiſſe, non pridie calend. ut grāmatici præcipiunt. priores uero intercalares dixit, quod duos menſes intercalares Cæſar addiderit, ut oſtendimus. Merula & in hoc elaborauit, ſed parum ſe explicuit: quo fit, ut illud quod ſubdit, frigidū ſit, & præcipuè cum Leonardum Aretinū taxat, qui in ſua Ciceronis uita ſcripſerit, quod accedente ad C. Cæſarem Cicerone dicturo pro Q. Ligario orationē, Cæſarem ad amicos conuerſum dixiſſe: Reum quidem Ligarium damnare certum eſt, nihil tamen prohibet Ciceronē audire: quo mox agente cauſam, Cæſarē propoſitū mutaſſe, Ligariumq́ abſoluiſſe &c. nam & hanc ipſam hiſtoriam non Aretinus tantum, ſed & Plutarchus recitat. quare falſum id totum uidetur, quod in Leonardum Merula, & in ea parte epiſtolæ Ciceronis conſcribit. Sic etiam cum Celſi Iuriſconſulti uerba in eodem loco exponit, quæ ſunt de uerborū rerumq́ ſignif. Cuius uerba ut hic adſcribantur digniſsima ſunt:

Cum biſſextus, inquit, calendas eſt, nihil refert priore an poſteriore die quis natus ſit, & ſic deinceps VI. calendas eius natalis dies eſt: nam id biduum pro uno die habetur, ſed poſterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatum non eſt, VI. calend. natus, cum biſſextus calend. eſt, priorē diem natalem habet. Cato putat menſem intercalarem addititium eſſe, omnesq́; eius dies pro momēto temporis obſeruat: extremoq́; diei menſis Februarij attribuit Q. Mutius. Menſis aūt intercalaris cōſtat ex diebus XXIX. Hactenus ille. In quibus uerbis Merula ſicuti iure inceſsit Accurſium, ita nō planè quæ à Celſo affertur Catonis ſententiā eſt interpretatus, ſicuti nec Scæuolæ Budæus: quorum ideo opiniones refellere ego hoc loco prætereo, quod eas noſtræ ætatis Iuriſconſultorū eruditiſsimus Andr. Alciatus, in ſuo eiuſdem tituli cōmentario doctè expoſuit. Porrò quod à multis quæri uideo, quæ dicantur calendæ intercalares, etſi res frigida uideatur, quæ tamen ego obſeruaui, hic paucis notabo. Calendæ igitur intercalares erāt eius menſis qui intercalabatur apud Romanos poſt menſis Februarij diem XXIII. hoc eſt, inter VI. & V. calen. Martij. Vnde cū Cæſar tres menſes in confuſionis anno intercalauit, hoc eſt, unum XXIII. dierum in menſe Februarij, & reliquos duos inter Nouembrem

brem & Decembrẽ, omnes ipsæ tres calendę intercalares fuerunt. quare patet neq; Martias, quod Budæus: neq; Februarias, quod multi putauere, intercalares fuisse. Vnde & hoc tempore apparet inanem eorum esse obseruationem, qui in scribendis epistolis cum bissexti annus est, ita scribũt: Sexto calendas intercalares priores. & altero die, sexto calen. intercalares secundas. qui scribendi modus, licet aliquando mihi arriserit, ut & ego scriberem tum priores & posteriores calen. cum tamen alter tantũ, hoc est, secundus intercalaretur, satis esse uidetur calen. intercalares scripsisse de secundo. Ecclesiasticus uero mos simpliciter pronunciat, bissexto calendas Martias, unde & bissexti nomen est usurpatum. Sanè diem, mensem, & annũ, intercalarem & intercalarium dicimus, sicut & bissextus & bissextum apud Celsum Iurisconsul. Macrobium & Censorinũ. Ammianus Marcellinus diem bissexti infaustũ esse in historia prodidit, & idcirco Valentinianus Imperator aliquando prodire in publicum noluit, ut ominosum illum euitans. Alij & bisextilem annum infaustum quoq; dixere: unde & hac tempestate fœtæ mulieres, ut ominosum & noxiũ expauescunt & execrantur. Quin etiã Macrobius scribit, quòd quoties incurrente anno, dies cœpit qui adiectus est nundinis (ita enim ille scribit) om-

nis ille annus infaustis casib. luctuosus fuit, maximeq; Lepidiano tumultu opinio ista firmata est. Quam rem ut superstitiosam nostri nunc pontifices, ut ridiculam & inanem physici damnare consueuere. Sed ut unde digressus sum redeam. Sic annis à Cæsare dispositis, per sacerdotes tamen uitium admissum est. Nam cum pręceptum esset anno quarto ut intercalaretẽ dies unus, & oporteret id quarto quoq; anno obseruare, anteq̃ quintus auspicaretur, illi incipiente quarto intercalarunt, non desinente: sic per annos sex & XXX. cum IX. dies tantũ sufficere debuissent, XII. sunt intercalati. Quod erratũ deprehensum Augustus reformauit, iussitq; annos XII, sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra IX. necessarios temerè fuerant intercalati, hoc modo possent repensari: ex qua disciplina omnis postea temporum est fundata ratio, quæ ad æternam memoriam æreis tabulis incisa est: & posthac

Anni Augustani. sunt anni Augustani, sicut Iuliani ab Iulio, nũcupati ab Augusto. Sed & Aegyptij suos habuere Augustanos, ut ait Censorinus, institutos, cum in potestatẽ ditionemq; Pop. Rom. uenerunt. qui tamen & alios habuerunt, quos Nectabareos uocitabãt, qui à primo anno imperij Νεκταβαρέως regis numerabantur. Sanè, ut ne quid omittã, nostræ ætatis diligentiores astrologi, pro quadrãte an-
nuo

nuo intercalaris diei parte, nõ ſex, ſed quinq; duntaxat horas cenſent integras, & minuta circiter XLIX. ut ſingulo quoq; quadriennio minuta XLIIII. ſuperfluò intercalent, quæ in ſpacio annorum centum & XXX. ferè diem integrum cõſtituant, qui quidem nimio plus ſatis intercaletur. Quam rem & ex parte attigit Theodorus, cum ait, ſatius eſſe in quadriennio unum diem intercalarem, unumq; CC fermè anno facere: cõtra Plethonem & eos ſcribens, qui annum ad lunæ q̃ ſolis curſum dirigere maluerũt, quod tamen diuerſum uidetur ab eo, quod ex Dione hiſtorico antè notaui. Quibus ex rebus parũ conſtare uidet, quod eſt in Chronico ab Euſebio proditum, uel ab Hieronymo: Manifeſtum eſt, inquit, luminibus antecedere lucẽ tribus diebus, in mundi ſcilicet exordio. Vnde uidentur Aegyptij cæteræq; gentes hoc ſequentes decretum, quatuor annis impletis diem integrũ ſuperfluum adijcere, quem etiam biſſextũ nominauere. Nam cum tres dies iſtos computare qui ſint, atq; recogitare uoluerimus, unius anni centeſimam uigeſimamq; partẽ iſtam eſſe cognoſcemus: centeſima autem & uigeſima dies inuicem computata, tertia pars eſſe anni dignoſcitur. Tertia ergo addita parte, annuali quadriennio dies integer completur, atq; ad partium partes menſes atq; anni ſuperflui computãtur,

quos Græci quidem embolifmos uocare fo lent, Aegyptij autē exaltationes fiderū, atq; ftabilitates appellant: imò biffextū, ob reme moratiōnē lucis atq; dierū & noctium, quæ luminibus triduum antecefferūt, ideo quod tres dies fine autore fole proceflerunt. Hæc quidem illi. Quæ ideo adfcribenda duxi, nō quod rata putarem, fed ut oftenderem pios homines ac fanctos, quàm argutè, quibusq; rationibus nos ad pietatem & religionē inducere conentur. Verum iam nos fatis de intercalatione, ad cætera quæ reftant accedamus. Principiū anni iam tum Romani à Numa ufq; Pompilio ab Ianuario habuerunt, cum ab ipfo Ianuarius & Februarius anno menfes additi fuerunt, quæ cōmunis eft opinio. Sed poëta Ouid. Faft. lib. ij. Ianuariū annum inchoaffe femper dicere uidetur, & Februariū aliquando terminaffe, his uerfibus:

Sed tamen (antiqui ne nefcius ordinis erres)
Primus ut eft Iani menfis & antè fuit.
Qui fequitur Ianum, ueteris fuit ultimus anni.
Tu quoque facrorum Termine finis eras.
Primus erat Iani menfis, quia ianua prima eft.
Qui facer eft imis manibus, imus erat.
Poftmodo creduntur fpacio diftantia longo,
Tempora bis quini continuaffe uiri.

Decemuiros ergo hunc ordinē mutaffe fcribit Ouid. Plutarchus primum ait Ianuariū omniū numerari cœptū, quod primo huius

mensis die, hoc est, calendis, primi COSS. exactis regibus creati sunt. Hinc & postea Cõsules calen. ipsis Ianuarij magistratum inibant, festumq; diem agebant, ut uel Herodianus in hist. tradit. Nam cum Saturnus ab Ioue pulsus, ad Ianum in Italiam uenisset, ab eo hospitio susceptus latuit: unde & nomen est Latio datũ, id quoq; testante poëta. Quocirca & Saturnalia ante Ianuarium agebantur, de quibus in primis Aurel. Macrobius pluribus disserit, ut alios mittam. Dein post Saturnalia anni statim principium celebrabant, unumq; quodammodo iungebant festum, atq; ideo biceps fuit eius dei imago, ut à quo inciperet, & in quem desineret annus. Nam quod etiam quadriceps formaretur, alia ratio est, à nobis ex uetustis autoribus aliàs relata. Cumq; antiqui inuicem munera missitarẽt in Saturnalibus, idem quoq; in anni exordio factitabant: quod cum ab alijs scriptoribus, tum in primis in Cõmodi Cæs. uita ab Herodiano est proditum. quem morem in strenis dandis hodie quoq; obseruant nostri. Scribit & illud Plinius, primum anni incipientis diem lætis precationibus inuicem faustum ominari solitos antiquos: id quod & hoc tempore, in curia præsertim Romana, non modò in calend. Ianuarij, sed & in solennibus Christi celebritatib. adhuc obseruari uidemus. Non tamen id perpetuũ

fuit q̊d diximus, Cõsules calen. Ianuarij magistratũ inijsse: nam ut apud historicos & pręcipuè Liuiũ uidemus, aliquãdo calen. Sextilibus, aliquando Idibus Martij & Maij magistratũ inijsse legimus. Sed iam par esse uidetur ut annorũ uertentiũ exordia inuestigemus, si modò id rectè ratione colligi potest. Nam cum annus ueluti circulus quidã existat, qui sua per uestigia semper uoluatur: quæq́ in orbem circũaguntur, nihil suapte natura habent quod primũ extremúmue sit, nisi q̊d uel lege, uel cõsuetudine aliqua cõstitutũ sit: hac ergo causa alij aliud anni principiũ sibi statuere. Sed tamen illi optimè uidentur annũ, ut Plutarchus & Plethon aiũt, exordiri, qui cũ sole nouo, hoc est, cum ad brumã sol peruenit, nec ultra progreditur, sed ad nos rursus regredi incipit: naturale enim id quodãmodo principiũ: quo modo nos in primis Christiani, quibus cõtigit Christi nouæ lucis natalis dies. Romani quoq;, ut modo dicebam, Numa instituente, annũ incœpere. Pleriq; uero ab æquinoctio uerno, hoc est, à Martio mense, ut Albani, & Romani ante Numã. Item Hebręi, fatẽtes mundũ à deo cõditore ea anni parte conditũ. Scribit enim Bedas in lib. de nat. XII. calen. Aprilis primũ seculi diem quosdam dixisse: alios quosdam VIII. quod tamen incertũ esse pluribus Picus Patruus in vij. lib. contra astrologos ostendit. Sed re-

uera

uera duo anni principia Hebræi habuere: alterum creationis mundi in autumno, alterum in lege à Mose descripta in uere: quam rem Hebræorum uernaculus Iosephus non ignorauit. Porrò nõnulli annum inchoant à solstitio æstiuali, ut Athenienses, qua in re Gaza laborat. Alij ab æquinoctio autumnali, ut Asiani, & nunc Græci. Hinc exorta est anceps quæstio quorundam mathematicorum, quale esset Olympiadum principium: quidam enim solstitio, quod id apud Græcos antiquiores esset anni exordium: alij autumno credidere. Sed certè ęstate ludi Olympici agebantur. Quin & Isaacus Argyrus, eodem autumni tempore mundum conditum affirmat, hoc est, mense Septembri. Solinus tamen ex Aegyptiorum sacerdotum sententia, mundi natalẽ fuisse scribit inter XIII. calen. Augustas & undecimum diem. Extat quidam græcus libellus Isaaci, cuius hic titulus: Isaaci monachi Argyri demonstratio, quod XXX. Septembris est propriè principium anni, & nõ aliqua alia ad hanc ipsam: in qua & de solaribus & lunaribus periodis, quas & Cyclas plures uocant, methodica causæ ratio. hoc est, ut græcè legitur: Ἰσαάκου μοναχοῦ τοῦ ἀργυροῦ ἀπόδειξις, ὅτι ἡ λ΄ τοῦ σεπτεμβρίου ἐστὶ κυρίως ἀρχὴ τοῦ ἔτους, καὶ οὐχ ἑτέρα τὶς παρὰ ταύτην, ἐν ᾗ καὶ περὶ τῶν ἡλιακῶν καὶ σεληνιακῶν περιόδων, ἃς οἱ πλεῖστοι κύκλους καλοῦσιν, ἐμμέθοδος αἰτιολογία. Sũt

ad hæc qui annum inchoent à Vergiliarum ortu. Alij ab earundem occasu, ut Censorinus docet, & pleriq; rerum rusticarum scriptores. Alij à Canis ortu, ut antiqui Aegyptij, qui stellam ipsam σῶθιν uocabant, & ab eius exortu qualis futurus eo anno rerum euentus, edoceri putabant: qua de re & alia ab Horo Aegyptio prodita sunt. Sed & de anni principio Simplicius philosophus diligens Aristotelis interpres, ita lib. v. physicæ auscult. Nos, inquit, facimus anni principiũ in solstitio æstiuali, ut Athenienses: uel in autumni æquinoctio, ut qui eam quę nunc Asia dicitur incolunt: uel post brumã, ut Romani: uel in uerno æquinoctio, ut Arabes & Damasceni. Hanc quidem partem & Pontanus poëta in Vrania elegantissimè est executus cum de sole ageret:

Hasq; uices pater ille deûm uoluentibus annis
Esse dedit, quas ipsa æterno fœdere seruant,
Tam certos elementa simul retinentia nexus.
Atque alij (horrendum) quà brachia pandit iniqua
Parte poli, chelasq; audacius exerit ingens
Scorpius, hinc anni primos duxere meatus,
Et primam fecere uiam, cum partibus æquis
Dimidium luci atque umbris sol diuidit orbem,
Ac noctem paribus suspendit libra diebus.
Ast alij sæuæ post horrida frigora brumæ,
Cum premit auratos nephelæi uelleris artus
Phœbus, & imbriferum rediјt uer. Omnia quando

Alma

Alma parit tellus, quando omnis germinat arbos,
Cum uiret omne nemus, resonant cum frondea rura
Concentu uolucrum uario. Et paulò pòst:
Nec uero non è summo quoque culmine Cancri,
Quà regnat calor ipse, & equos sol sistit anhelos,
Extremum inuisens Araremq; atque ultima Thules
Littora, carceribus positis, exordia prima
Hinc anni fecere, alacresq; egere quadrigas.
At Numa frigoribus sub iniquũ tempus, ubi ingens
Declinat cœlum. & cætera quæ poëticè il

le est executus. His ita de anni principio à nobis expositis, nec illud prætermittendum uidetur, diuersa quoq; apud nationes numerandorum annorum fuisse initia. Nam Hebræi nunc à mundi exordio, nunc à magni Nochi cataclysmo, nunc ab Aegypti exitu, demum uel à templo Solomonis cõdito uel instaurato, annorũ principium agunt. Nos quoq; Christiani uario initio utimur. Nam plerique, ut Romana curia, à natali Christi: alij à salutatione Virginis, id est, conceptione: alij à passione: alij, quæ plurima pars est, à calen. Ianuarij: alij aliter, ita ut olim Romani ab Vrbe cond. uel ab exactis regibus: Athenienses, & omnis fermè Græcia ab Olympiadibus: alij à Troicis, hoc est, Troiæ excidio: alij ab Heraclidarum descensu: Sarraceni uero & Arabes à Magmane, id est, Mahomete, quæ Mahometis Albigna sua uoce dicitur: quæ, ut Campanus prodit, anno Christi

DCXXI. fuit, duodecim diebus poſt conce-
ptionem Chriſti, ita ut inter Chriſti conce-
ptionẽ, & hãc ipſam Mahometis, profluxe-
rint bis centies uicies ſexies mille, & nõge-
ties tricies & duo dies, hoc eſt, $\overset{M}{\overline{CC}}$ & $\overset{M}{\overline{XXVI}}$
$\overline{DCCCC}$ XXXII. Id eſt, 226932. Quo uero
anno hęc ego prodebã, annus agebatᵃ à mũ-
di creatione ſepties millies quadragies VII.
hoc eſt, ſeptimus milleſimus quadrageſi-
mus VII. uel ut alij, LII. à Chriſto uero nato
M.D.XXXIX. Iſta autem temporũ exordia
Aera. à ſcriptoribus Chriſtianis æra uocantur. La
tinum uocabulum eſſe dicere non auſim: ea
tamen dictione nõ modò diuus Leo uſus eſt
in epiſtolis, alijq́; eius claſsis ſcriptores, ſed
& apud Ptolemęum & Theonem inuenitur:
utuntur & Chronographi & Aſtronomi.
Sunt qui ęram dictã exiſtiment ab ære. Nam
cum Auguſtus Cæſar orbem iuſsit ad cen-
ſum faciendum primũ deſcribi, æs populo
Romano dari imperatum eſt, unde aiunt il-
li nomen. Aera, inquit Nonius Marcellus,
numeri eſt nota. Lucillius lib. xxix. Hæc eſt
ratio peruerſa, æra numeri eſt ſubducta im-
probè. Aera, ait Iſidorus lib. vi. ſingulorum
annorũ cõſtituta eſt à Cęſare Auguſto, quan
do primum cenſu excogitato, Romanũ or-
bem deſcripſit. Dicta autem eſt ęra ex eo, q̊d
omnis orbis æs reddere profeſſus eſt reipu-
blicæ. Et de æra hactenus. Fuit & mos ille
Ro-

Romanis antiquus anni ſignandi per clauum fixum in parietibus ſacrarum ædium, cuius eſt mentio apud hiſtoricos, & Liuium præſertim, qua de re ſic Feſtus: Clauus, inquit, annalis appellabatur qui figebatur in parietibus ſacrarum ædium per annos ſingulos, ut per eos numerus intelligeretur annorum. Sed ſatius eſt ut particulam ex T. Liuio adſcribamus, qui lib. vij. ab Vrbe cond. rem hanc omnẽ elegantiſsimè exponit. Repetitum, inquit, ex ſeniorum memoria dicitur, peſtilentiam quondam clauo ab Dictatore fixo ſedatam, eaq́ religione adductus ſenatus, Dictatorem claui figendi cauſa dici iuſsit. dictus L. Manlius Imperioſus, L. Pinarium magiſtrum equitum dixit. Lex uetuſta eſt priſcis literis uerbisq́ ſcripta, ut qui prætor maximus ſit, Idibus Septembribus clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis opt. max. ea parte qua Mineruæ templum eſt: eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt, eoq́ Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentũ ſit. Volſcinijs quoq́ clauos indices numeri annorũ fixos in templo Nortiæ Hetruſcæ deæ comparere, diligens talium monumentorũ autor Cintius affirmat. Hęc quidem Liuius, qui & plura ſcribit, ſed hæc ego tantum pro re & tempore. Nomina uero temporũ, hoc

eſt, *καιρῶν ὀνόματα καὶ χρόνων*, quæ à Græcis anxiè colliguntur, non hic attuli, quandò ſibi quiſq; prout occaſio tulerit, ſtatuere poterit: ut, ſeſquiannus, biennium, decennium, ſimilia. Illud iam dicendũ ſuccurrit, antequã de menſibus agamus, annum uidelicet uertentem à Græcis in has partes diuidi, *ὡς ἱσταμένου τοῦ ἔτους, καὶ πρώτου τοῦ ἔτους, καὶ νέου ἔτους.* Item *μεσοῦντος ἔτους* & *ἀκμάζοντος*, & demum *παυσαμένου, καὶ λήγοντος ἔτους.* Diuiditur etiã & in quatuor tempora quæ uocantur à noſtris. Hinc poẽta in Georg.

Temporibusq; parem diuerſis quatuor annum.

Hæc Græci tum *καιροὺς*, tum *ὥρας* uocant: nõnunquã & *τροπὰς*, quibus ſol per diuerſa cœli ſpacia diſcurrens temperat orbem, unde & tempora dici uident̃: uel quia cõtemperata uoluunt̃, hyems, uer, æſtas & autumnus. Quorũ temporũ principia uariè tradũtur. Quidam enim hyemem incipere IX. calen. Decembris, alij VII. Idus Nouembris. Quidam uer octauo calen. Martij, alij VII. Idus Februarij. Aeſtatem aliqui IX. calen. Iunij, alij VII. Idus Maij. Autumnũ nonnulli eſſe uolunt X. calend. Septembris, alij VII. Idus Auguſti. Qui rem ſubtilius ueſtigant, ipſa quatuor tempora à ſignis cœleſtib. metiuntur. Cardo, inquit Plinius, temporum quadripartita diſtinctione cõſtat. per incrementa lucis augetur, hoc eſt, à bruma, & ęquatur

nocti

noctibus uerno æquinoctio in diebus XC. tribus horis: deinde ſuperat noctes ad ſolſtitium diebus XCIIII. horis XII. uſq; ad æquinoctium autumni: & tum æquata die procedit ex eo ad brumã diebus LXXXIX. horis tribus. Sol quidẽ ipſe has quatuor differentias facit, bis æquata nocte diei, uerno & autumno in centrũ incidens terræ, octauis in partibus Arietis, ac Libræ, bis permutatis ſpacijs in auctum diei. Bruma in VIII. parte Capricorni, noctis uero ſolſtitio totidem in partibus Cancri. Nec deſunt qui tempora diſtinguant à Vergiliarum matutino uel ueſpertino ortu uel occaſu, earundemq́; meridiano uel nocturno: illis enim hyemẽ & eſtatem, his uer & autumnũ deſignari aſſerunt. Alij, teſte Polluce, à fructibus, ut uindemiæ tempus, meſsis, & ſationis uel ſementis tempus: hoc eſt, ut ille ſcribit, τρυγητοῦ καιρῶ, καὶ ἀμητοῦ καιρῶ, καὶ σπόρου καιρῶ. Et aliter aliquãdo, ut à uentis flantib. Fauonio, Eteſijs, alijsq́; : tum etiam interdũ à reliquis ſtellis. Sed quid nos uetat hoc loco addere quã Damaſcenus lib. ij. ſententiarum attulit Chriſtianis hominibus horum quatuor temporum deſcriptionem? Ait enĩ uer, hoc eſt, ἐαρινὴν τροπὴν, extendi à XXI. Martij aduſq; XXIIII. Iunij. Aeſtatem uero, hoc eſt, θερινὴν τροπὴν, à XXIIII. Iunij ad XXV. Septembris. Autumnũ autem, hoc eſt, μετοπωρινὴν τροπὴν, à XXV. Septembris

adDecembris usq; xxv. tum demũ hyemẽ, id est, ut ille ait, χειμερινὴν τροπὴν, à xxv. Decembris usq; ad xxi. Martij extendi. & cętera quæ ille scribit. Pythagoras has quatuor anni partes, quatuor hominũ ætatibus comparabat: uer pueritiæ, æstatem adolescentię, autumnũ iuuentuti, hyemem senectuti, ut Laërtius scribit, & in xv. Metamorph. Ouidius. Alij cœli quatuor partibus adscribunt. Ver quippe orienti datur, quia tunc ex terra omnia oriãtur. Aestas meridiei, eò quod calore æstuq; pars ea sit flagrantior. Hyems septentrioni, quod frigoribus & perpetuo gelu torpeat. Autumnus occidenti, quod graues morbos habeat, unde & folia ex plantis, ut ait Isidorus, defluant. Sanè hæc quatuor tempora in ternos menses discreta, ita nominantur. Primo quidem mense, uer nouum, secundo adultum, tertio pręceps, quo modo usus est Sallustius. Ita noua ęstas, adulta, præceps uel extrema. Idem de reliquis, ut, extremæ sub casum hyemis. Dicimus & appetente uere, & ineunte: item alijs multis modis. His utiq; quatuor anni temporibus nostra religio per summos pontifices trium dierũ ieiunia instituit, quibus & ad sacros ordines prouehimur. Sed de his iam satis: deinceps non minori studio ac diligentia de mensibus agendum.

De mensibus quoniam apud Græcos legimus

gimus & Callimachũ Cyrenæum gentium &nationum appellationes & uocabula ſcripſiſſe, & Lyſimachiden de Athenienſiũ menſibus, item Io. Philadelpheũ: idem ego quoque de Latinis ſubtilius diligentiusq; agendum mihi ſum ratus. In primis ergo menſes à menſura dicti, quod eadem omnes fuerint menſura: uel, ut ait M. Cicero, quia mẽſa ſpacia conficiant: uel à græca dictione potius, quę eſt μήνη, hoc eſt, luna: unde & menſes ipſi μῆνες uocãtur, quod uidelicet ad curſum lunæ antiqui menſes agerent. Hebræorũ quoque lingua à luna uocati ſunt, teſte Hieronymo: unde & naturalis uſus nationum exterarum, ut ſcribit Ambroſius, lunas pro diebus appellat, ut apud Hebręos XIIII. luna, & ſimilia. Sed & eodem modo Heſiodus & Vergilius, ut nunc alios mittam. Euſtathius etiam in cõmentarijs in Homerum, menſem bouem uocatum tradit, à lunæ cornibus. Menſis uero principium μόσχον, id eſt, uitulum uocat, aitq; Orpheum μονοκέρωτα μόσχον uocaſſe, rationemq; affert ſubobſcuram: qua eadem de re & cõmentaria in Heſiodum agunt. Menſium quidem in primis duo genera ſunt, naturales alij, quos uertentes Victruuius uocat: alij ciuiles. Naturalium ſpecies duæ, quod partim ſolis, partim lunæ eſſe dicuntur. Secundum ſolem fit menſis, dum ſol unumquodq; in Zodiaco orbe ſignum per-

Menſis etymon.

Menſium duo genera.

currit. Lunaris autem tempóris quoddam ſpacium à noua luna ad alteram nouam lunam, quo ſpacio XII. permeat ſigna. Vnde Ouidius in Faſtis:

Signaq́; quæ longo frater percenſeat anno,
Irę per hæc uno menſe ſororis equos.

Ciuiles uero menſes ſunt numeri quidã dierum, quos unaquæque ciuitas ſuo inſtituto obſeruat, ut nos à calendis ad calend. Naturales menſes ſunt & antiquiores, & omniũ gentiũ cõmunes. Ciuiles poſterius ſunt inſtituti, & ad unãquanq; pertinẽt ciuitatẽ. Qui ſolis ſunt menſes ſeu lunæ, non peræquè inter ſe pares ſunt, nec dies habẽt totos: quippe ſol moratur in Aquario circiter dies undetriginta, in Piſcibus ferè XXX. in Ariete unum & XXX. in Geminis propè XXXII. & ſic in cæteris nõ æquali ſpacio. Sed uſqueadeò non totos dies in ſingulis, ut annũ ſuũ, id eſt, dies CCCLXV. & portionem neſcio quam, adhuc, ut Cenſorinus ait, aſtrologis inexploratam, in XII. ſuos menſes diuidat: tametſi noſtrę ætatis aſtronomi ea de re multa ſubtiliter tractant, in ijs qui de motu ſtellarum & cœli libris inſcribũtur. Luna autem ſingulos ſuos menſes conficit diebus undetriginta circiter & dimidiato: ſed & hos inter ſe diſpares, alios longiores, alios breuiores, adeò ut uerum uideatur quod à Plutarcho ſcribitur: Sed certiſsimũ, inquit, dierum nume

numerũ exequi non oportet,nõ ex eo quod parum abeſt à calumnia, quandoquidẽ uel hoc tempore,quo ad ſummũ aſtrologię per uentum eſt, inæqualitas tamen temporum, mathematicorũ peritiam uincit,& eorũ nu meros ac calculos ſæpiſsimè fallit ac fugit. Hęc ille.At ciuitatũ menſes uel magis nume ro dierũ inter ſe diſcrepant,ſed dies ubiq; ha bent totos. Apud Albanos Martius erat ſex &XXX.dierũ.Maius XXXII. Sextilis duo detriginta.September XVI:Tuſculanorum Quintilis dies habebat XXXVI. October XXXII.Idem October apud Aricinos XX-XIX.Minimè uidentur erraſſe, ait Cenſorinus, qui ad lunæ curſum menſes ciuiles accommodarunt, ut in Græcia pleriq; , apud quos alterni mẽſes ad XXX.dies facti ſunt. Maiores quoq; Romani idem ſunt æmulati,cum annum dierũ CCCLX.haberent. Sed diuus Iulius cum uideret hac ratione nec ad lunam menſes,ut oportebat,neq; annum ad ſolem conuenire, maluit annum corrigere, ut ſic menſes lunares cum ſolaribus, etſi nõ ſinguli, tamen uniuerſi ad anni finem concurrerẽt. Nunc iam menſiũ nomina inue ſtigemus. Nomina decem mẽſibus iam tum primò Romulum feciſſe Fuluius & Iunius autores ſunt: & quidem duos primos à parentibus ſuis nominaſſe, Martiũ à Marte pa tre,Aprilem ab Aphrodite Venere, unde ma

iores eius oriundi dicebantur. Hinc et Mars pater, qui & Marſpiter, & Venus genitrix in ſacris, teſte Macrobio. Hinc & Lucretius Romanus ſuum carmen exorditur. Proximos uero duos menſes idem Romulus à populo nuncupauit, Maium à maioribus, Iunium à iunioribus: quia, ut ait Seruius, antea Pop. Rom. in centurias iuniorum & ſeniorum diuiſus erat. Cæteros autem menſes ab ordine, quo erãt ſinguli, uocauit, hoc eſt, Quintilem &c̃. ad Decembrẽ uſq;. Varro tamen à Latinis Romanos nomina menſium accepiſſe arbitratus eſt: docet enim Martiũ menſem à Marte quidem denominatũ, non quia Romuli pater fuerit, ſed quod gens latina bellicoſa. quod idem ſcribit & Feſtus, & his uerſibus Ouidius:

Mars Latio uenerandus erat, quia præſidet armis,
Arma feræ genti remq́; decusq́; dabant.

Sanè ſciendum & alias urbes latinas Martium menſis nomen habuiſſe, ſed non anni primum, quod his uerſibus manifeſte oſtendit Ouidius:

Quod ſi fortè uacat peregrinos inſpice faſtos,
Menſis in ijs etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliſcis,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos, Albanaq́; tempora conſtat,
Factaq́; Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, biſquintum Aequicolus acer,

A tribus

A tribus hunc primum turba forensis habet.
Et tibi cum proauis miles Peligne Sabinis
Conuenit huic genti quartus utriq; Deus.
Romulus hos omnes ut uinceret ordine saltem,
Sanguinis autori tẽpora prima dedit. hęc poëta.

At uero hoc mense matronæ seruis conuiuia proponebant, uti in Saturnalibus domini, quod Solinus & Macrobius scribunt. Calendæ etiam huius mensis matronarũ dies festus erat, quod in Horatium Porphyrion notat super eo Sapphico,

Martijs cœlebs quid agam calendis.

Martias calendas, inquit Festus, matronę celebrabãt, quod eo die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta est. Idem & Ouid. pluribus. Seruius in viij. Aeneid. Ideo ait, quod eo die pacem inter Romanos & Sabinos raptæ Sabinæ fecerũt. Idem & poëta. Martij insuper prima die ignem nouũ Vestæ aræ accendebãt, ut incipiẽte anno cura denuò seruãdi nouati ignis inciperet, ut Macrobius & Solinus tradũt. Eodem quoq; ingrediẽte mense tam in regia curijsq;, q̃ in Flaminũ domibus laureæ ueteres nouis laureis mutabant. Hoc eodem mense publicè ac priuatim ad Annam Perennã sacrificatũ ibat, ut annare & perennare cõmodè liçeret. Hoc etiã mense mercedes exoluebant magistris, quas cõpletus annus deberi fecerat. Comitia auspicabantur, quæ partim ex Solino & Macrobio, partim

ex Ouid.alijsq́ collegimus. Nec hoc menſe nubere bonũ fuit, donec ancilia conderent. uel, ut Porphyrion tradit, quod in hoc menſe de nuptijs inter Martem & Mineruam habitum fuit certamen. Mars uictus, Minerua obtenta uirginitate, Nerine eſt appellata.

APRILIS autem dictus eſt, non ab ἀφρὸν, id eſt, ſpuma, quaſi Aphrilis, unde orta Venus creditur, ut pleriq; tradunt, & pluribus uerſibus contendit Ouidius, & Plutarchus in Numa: ſed ab aperiendo, quod tunc ferè cuncta gignantur, & naſcendi clauſtra aperiat natura. Idem tradit & Cintius in libro quem de Faſtis reliquit: Nullus, inquit, dies feſtus, nullumq́ ſacrificiũ inſigne Veneri hoc menſe inſtitutum eſt. Sed ne quidem in carminibus Saliorum, Veneris ulla ut cæterorum cœleſtiũ laus celebratur: quin nec ſub regibus apud Romanos uel latinũ uel græcum nomen fuit Veneris. Cintio & Varro conſenſit, ut Macrobius docet. Verrius tamen Flaccus nõ negat, hoc die poſtea conſtitutum, ut matronæ Veneri ſacrum facerent.

MAIVM tertium menſem Romulus poſuit, de cuius nomine inter autores lata diſſenſio eſt, quam eruditè Macrobius eſt executus. Nam Fuluius, inquit, nobilior, in Faſtis, quos in æde Herculis Muſarum poſuit, Romulum dicit poſtquam populum in maiores iunioresq́ diuiſit, ut altera pars conſilio,

lio, altera armis rempub. tueret, in honorē utriusq; partis, hunc Maium, sequentē Iuniū mensem uocasse. Sunt qui hunc mensem ad nostros fastos à Tusculanis transisse cōmemorent, apud quos uocabatur deus Maius, qui est Iupiter, à magnitudine scilicet & maiestate dictus. Cintius mensem nominatum putat à Maia, quam Vulcani dixit uxorem: argumentoq; utitur, quod flamen Vulcanalis calendis Maijs huic deæ rem diuinam faceret. Sed Piso uxorē Vulcani Maiestam, nō Maiam dicit uocari. Ouidius Maiestatē Honoris & Reuerentiæ filiā, mensi nomen dedisse canit. Contendunt alij Maiam Mercurij matrem mensi nomen dedisse, hinc maximè probantes, quod hoc mense mercatores omnes Maiæ pariter Mercurioq; sacrificarent. Quinetiā mensem ipsum scribit Plutarchus Mercurio sacrum fuisse. Affirmant quidam, quibus Corn. Labeo cōsentit, hanc Maiam cui mense Maio res diuina celebrabatur, terrā esse, hoc adeptam nomen à magnitudine, sicut & mater magna in sacris uocabatur: assertionemq; existimationis suæ etiam hinc colligunt, quod sus prægnans ei mactaretur, quę hostia est propriè terræ. Et Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicūt, quia uox nascenti homini terræ cōtactu datur. Scimus autem Mercurium uocis & sermonis potentem existimatū, autor est Cor.

Labeo. Huic Maiæ, id eſt, terræ, ædem calen dis Maijs dedicatã ſub nomine Bonæ deæ, & eandem eſſe Bonã deam & terrã, quod ex ipſo ritu occultiore ſacrorũ doceri poſſe cõfirmat. Hæc fermè totidem uerbis Aurel. Macrobius. Hoc mẽſe nec nubere bonũ fuit, q̊d & Plutarchus & Ouid. oſtendunt, & Porphyrion in ultima Horatij epiſt. cũ inquit: Lemures dicti quaſi Remures, à Remo, cuius cum occiſi umbras frater Romulus pla care uellet, Lemuria inſtituit, id eſt, parentalia, quæ menſe Maio per triduum celebrari ſolebant, ante additũ anno menſem Februarium: ob quam rem Maio menſe nubere fuit religio. Sanè quod nõ à maioribus Maius di catur, præter ea quę recitauimus, illud quoque argumento eſt, quod ante Romã conditam, autore Feſto, Maij menſis nomen erat. Certè & Meſius hic menſis Oſca lingua appellatus eſt, ut idem ait Feſtus.

IVNIVS. Hic quoque menſis habet dubias in nomine cauſas, ut Naſo canit:

Quæ placeant, poſitis omnibus ipſe canam.

Quidam enim ab Iunone potius, quàm ab iunioribus dictũ uolũt, quod illo menſe Iunoni maximi haberentur honores. Quinetiam Iunonius appellabatur, ut ait Cintius apud Latinos: diuq; apud Aricinos & Præneſtinos, aliosq;, hac appellatione in faſtos relatus fuit, adeò ut ita ſcribat Ouidius:

Inſpi-

Inſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens, Lauiniumq́; meum.
Eſt illic menſis Iunonius, aſpice Tybur,
Et Præneſtinæ mœnia ſacra deæ.

Et ſicut Niſus in cõmentarijs Faſtorũ dicit, apud maiores quoq; Romanos hæc appellatio menſis diu manſit, ſed póſt detritis quibuſdam literis, ex Iunonio Iunius dictus fuit. Sed & ædem Iunonis Monetę calendis Iunijs dedicatã fuiſſe legimus. Feſtus etiam ait: Iunium menſem dictum putant à Iunone: ijdem ipſum dicebant Iunonium & Iunonialem. Agrætius uero inter antiquos grammaticos annumeratus, ab Iuuenta dea ſcribit, quæ Hebe græcè dicitur, Herculis uxore, Iunium menſem appellatũ ſe in libris priſcorum legiſſe. Idem & poëta Ouidius in Faſtis, qui & hanc quoq; opinionem attulit, uocitatum ſcilicet menſem hunc ab coniunctis & unitis Sabinis & Romanis rege Romulo & Tatio. Ita enim ille:

Et lare communi generos ſoceroſq; receptos,
His nomen iunctis Iunius inquit habet.

Nonnulli & à Iunio Bruto denominatũ putant, qui primus Romę conſul factus, calen. Iunijs pulſo Tarquinio rege ſacrum Carnæ deæ in Cœlio mõte uoti reus fecit: quæ dea uitalibus humanis præeſſe credebatur ab eaq; petebatur, ut iecinora & corda, quæq; intrinſecus ſunt uiſcera, ſalua conſeruaret.

Alia,ut puto,fabulose addit Ouid.Huic uero deę pulte fabacia & larido sacrificabatur, & calendæ ipsæ Iuniæ,Fabariæ dicebantur.

QVINTILIS dictus fuit,quod loco fuerit apud Latinos quinto. Item SEXTILIS, ac deinceps ad Decembrem, suis numeris sunt appellati.Sed de Quintili & Sextili,hoc est, Iulio & Augusto, paulò infra dicemus.

SEPTEMBER in tutela Vulcani fuisse legitur.Huius mensis secunda factum esse bellum nauale inter Cæsarem Aug.& M.Antonium, Dion in hist.scribit,ab eo'q; die numerari eius monarchiam cœpisse.

OCTOBRIS quoq; nomē,ut aliorū,perseuerat. In Martis uero tutela esse existimabatur, unde & huic deo equus immolabat, de quo sic in cōmentarijs Festi legimus : October equus appellatur,qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti bigarum uictricum dexterior,de cuius capite nō leuis contentio solebat esse inter Suburranenses & Sacrauienses, ut hi in regio pariete, illi ad turrim Mamiliam affigerent. De capite huius equi idem alibi: Panibus,inquit,redimebant caput equi immolati Idibus Octobris,in campo Martio : & id sacrificium fiebat ob frugum euentum. Et equus potius quàm bos immolabatur, quod hic bello, bos est frugibus pariendis aptus. Eiusdem quoq; equi cauda tanta cele

ritate

ritate perferebat̃ in regiã, ut ex ea ſanguis de ſtillaret in focũ participandæ rei diuinæ gratia. quas hoſtias hic quidam Marti bellico ſacrari dicunt, non ut uulgus putat, quia uelut ſupplicium de eo ſumatur, quod Romani Ilio ſunt oriundi, & Troiani ita effigie equi ſunt capti. Hæc Feſtus, qui & illud ait, à multis gentibus equos immolari ſolitos, ut à Lacedæmoniis, Rhodiis, & Salentinis, & ut canit poëta:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum.

Quibus ex rebus Plutarchi codices tum græcos tum latinos problematũ rerum Romanarum inemendatos uidemus, ubi huius celebritatis cauſam inquirit: non enim Decembres Idus, ſed Octobres legendum.

NOVEMBER in tutela fuit Dianę. Apud antiquos hoc menſe claudi maria dicuntur, quod etiã ſcribit Vegetius: &, ut Plutarchus in Marcello tradit, inferiæ Gallis & Græcis defoſsis fiebant. Hoc menſe & Ioui epulum celebrabatur. quo eodem menſe, ſi coniecturæ locus datur, putamus Vacunalia quoq; celebrata: quippe Vacuna dea fuit quæ præeſſe uacantibus & ocioſis credebatur, cui à laboribus cum uacarent agricolæ, poſt perceptos fructus, & agrorum cultus, per hyemem ſacra faciebant. Ouid. vi. Faſt. *Vacuna dea.*

Nam quoq; cum fiunt antiquæ ſacra Vacuræ,
Ante Vacunales ſtantq; ſedentq; focos.

Huius deę meminit & Horatius in epistolis:

Hæc ego dictabam post templum putre Vacunæ.

Quo loco Porphyrion: Vacuna apud Sabinos plurimũ colitur dea, quæ est sub incerta specie formata: quidam Mineruã, alij Dianam putauerunt, nonnulli & Cererem esse dixerunt. Sed Varro in primo rerum diuinarum Victoriam ait, & ea maxime eos gaudere qui sapientia uincunt.

DECEMBER in Vestæ tutela fuit, Saturnoq́ue sacer, ut post alios pluribus Macrobius docet. Et Saturnalia celebrabant, quibus bellum sumere nefas, à nocente pœnas exigere piaculare: apud maiores primũ uno die instituta, alij tribus tradũt, ad XIIII. calen. Febr. sed postquã C. Cæsar huic mensi duos dies addidit, XVI. calen. celebrari cœpta. Macrobius quidẽ antiquissimũ esse scribit VII. diebus celebrari, idq́ue Nouio, Mumio & Pomponio Attellanarum probatissimis poëtis adstruit. Cæterum IANVARIVM & Februarium post Romulum additos diximus, sed nominibus iam ex Latio sumptis. Ianuarium quidem à Iano, cui attributus, nomen traxisse legimus, cui deo primò supplicabãt uelut parenti, à quo rerum omniũ factum putabant initiũ. Dictus uero est, ut ait Sext. Pompeius, ab hiare, detracta aspiratione, uti chaos, ex eo quod χαίνειν hiare. Chaos enim Hesiodus appellauit confusionem

nem

nem quandam ab initio, unitatem hiantem patentemq́ in profundum: unde & pater à Latinis quibusdam dictus est, & Ianus ipse Patulcius. Sed hæc satis: plura Naso poëta statim in Fastorum principio. Sanè & Aeonarium Ianuarium appellatum testes sunt Theophilus & Suidas, qui & illum à Longino interpretatum tradunt, quod scilicet pater sit τῶν αἰώνων, hoc est, seculorum.

FEBRVARIVS autem à Februo dicitur. Februum quidem Plutonem nuncupatũ ait Isidorus. Sed Censorinus, Februum, inquit, est quicquid expiat expurgatq́: & Februamenta, purgamenta: item Februare, purgare, & purum facere. Februũ autem nõ idem usquequaq; dicitur: nam aliter in alijs sacris februabatur, hoc est, purgabat. In hoc quidem mense Lupercalibus cum Roma lustraretur, salem calidum ferebant, quem Februũ appellabãt: unde dies Lupercalium propriè februatus, & ab eo porrò mensis Februarius uocitatus, ut Censorinus & Plutarchus scribunt. Sext. autẽ Pompeius: Mensis, inquit, Februarius dictus, quod tum, id est, extremo mense anni populus februaret, hoc est, lustraretur ac purgaretur: uel ab Iunone Februata, quam alij Februalem, Romani Februlam uocant, quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusq́ feriæ erant Lupercalia, qua die mulieres februabantur à Lupercis amiculo

Iunonis,id est,pelle caprina,à quarum pelliculariarum crepitu,Crepi Luperci dicti sunt, quam ob causam is quoq; dies februatus appellabatur. Quęcunq; denique purgamenti causa in quibusq; sacrificijs habebantur,februa appellabantur:id uero quod purgatur dicitur februatum. Sed cur non lepidissimi poëtæ ex ij.lib. Fastorũ uersus adscribo? ita enim ille canit:

Februa Romani dixere piamina patres,
Nunc quoque dant uerbo plurima signa fidem.
Pontifices à rege petunt & flamine lanas,
Queis ueterum lingua Februa nomen erat.
Quæq; capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra uocantur idem.
Nomen idem ramo qui cæsus ab arbore pura,
Casta sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego Flaminiam poscentem Februa uidi,
Februa poscenti pinea uirga data est.
Deniq; quodcunque est quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat auos.
Mensis ab his dictus,secta quia pelle Luperci,
Omne solum lustrant,idq; piamen habent:
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris,
Tunc cum ferales præteriere dies.
Omne nephas,omnemq; mali purgamine causam,
Credebant nostri tollere posse senes.

Atq; hactenus poëta. Historiam Suidas,si nõ potius fabulam, recitat, quam me apud aliũ quempiã legisse haud memini. Ait enim Camillum

millum ab æmulo Februario Consule urbe Roma eiectum fuisse: postmodum urbe à Breno & Gallis capta & à Camillo liberata, Camillum tum populũ docuisse, quàm iniquas in se Februarius iniurias exercuisset, quam ob causam Februarius scirpea tegete circũtectus, ab urbe neruis pulsatus eiectus est, ac mensi illi cognomini dies ablati. Huius historiæ fides sit penes autorem. Horum autem XII. mensium, duorũ tantũ nomina mutata perseuerant. Nam Quintilis Iulius cognominatus est C. Cæsare V. & M. Antonio COSS. anno Iuliano secundo, ut scribit Censorinus, M. Antonio legem ferente, ut ait Macrobius. ut uero Festus, ideo Iulius dictus est, quod eo mense natus Iulius fuerat. Qui uero Sextilis fuerat, C. Marco Cens. C. Asinio Gallo COSS. in Augusti honorẽ dictus est Augustus, anno Augustano XX. ut est apud Censorinũ. Legit̃ & hodie Senat. cons. q̃d hic ex Macrobio placet ascribere: CVM Imp. Cæsar Augustus mense Sextili & primũ Consulatum inerit, & triumphos tres in urbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ, secutæq; sint eius auspicia ac fidem, & Aegyptus hoc mense in potestatem Pop. Romani redacta est, finisq; hoc mense bell. ciuilib. impositus sit, atq; ob has causas hic mensis huic imperio fœlicissimus sit ac fuerit, placuit Senatui ut hic mensis Augu-

ſtus appelletur. Item plebiſcitum factum ob eandem rem, Sext. Pacuuio Trib. plebem rogante. Hæc igitur duo menſium nomina, Iulij ſcilicet & Auguſti, ad noſtram permanent memoriã. Poſtea etiam multi principes eodem exemplo uocabula quædam menſium mutauere, ſuisq́; uel alienis nũcupando nominibus, quæ aut ipſi poſtmodum mutauerunt, aut poſt obitum eorũ illa nomina priſtina ſuis ſunt reddita menſibus, quorũ hic aliqua uiſum eſt ſubſignare. Tiberius quidẽ Cæſar poſt Iulium & Auguſtum ſequentem menſem Septembrem à ſe Tiberium, & Octobrem Liuium appellauit. Tum Nero Aprilem Neronem, Maium Claudium, Iunium Germanicum, ut partim ex Suetonio, partim ex Corn. Tacito didicimus: atq; ideo Iunium menſem ait Tacitus tranſmiſſum, id etiam teſtificante Orphito, qui id cenſuerat, quod duo iam Torquati ob ſcelera interfecti, infauſtum Iunij nomen feciſſent. Domitianus item Septembrẽ Germanicũ, & Octobrem Domitianum uocauerat, qui menſes mox Senatus decreto, ut omnis eius memoria, aboleri mandati ſunt, omniq́; uel ære uel ſaxo eradi. Præterea Senatus, ut Capitolinus ſcribit, in honorem Antonini Pij & Fauſtinæ, Septembrem & Octobrem Antoninum & Fauſtinũ appellandos decreuit. Poſt hæc adulatores in Cõmodi honorẽ, ut eſt à Lampridio

Menſibus uaria à diuerſis nomina indita

pridio proditum, pro Augusto Cõmodum, pro Septembre Herculem, pro Octobre Inuictum, quem postea ipse Aelium nominauit: pro Nouembre Exuperatoriũ, pro Decembre Amazonium, à nomine ab eo dilecti scorti Martiæ, quam in Amazone pictam diligebat: quapropter & ipse habitu Amazonico in harena Romæ aliquando processit, & eius demum arte è medio sublatus est. Sedenim Eusebius Septembrem Cõmodum appellatum innuit, cum Platyna Decembrem dicat. At uero Suidas XII. à Cõmodo menses scribit ita nuncupatos: Amazoniũ, Commodum, Augustum, Herculeum, Romanũ, ὑπεραίροντα, id est, Exuperatoriũ: ἀνίκητον, hoc est, Inuictũ: εὐσεβῆν, hoc est, Pium: εὐτυχῆν, id est, Fœlicẽ & Fortunatũ. Tum Lucium, Aelium, & Aureliũ. Ex quibus uerbis facilius intelligimus uerba historiographi, quę sunt in uita Cõmodi: Nominatus, inquit, Cõmodus inter Cæsares IIII. Iduum Octobrium, quas Herculeas postea nominauit, Pudente & Pollione COSS. Appellatus Germanicus Idib. Herculeis Maximo & Orphito COSS. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos XIII. calen. Inuictas, Pisone & Iuliano COSS. Profectus in Germaniam XIIII. calen. Aelias (ut postea nominauit) ijsdem COSS. Togam uirilem accepit, cum patre appellatus Imp. V. calen. Exuperato-

rias, Pollione iterum & Apro coss. Triumphauit x. calen. Ianuarias ijsdem coss. Iterum profectus III. Non. Cõmodias, Orphito iterum & Ruffo coss. Datus in perpetuum ab exercitu & Senatu in domo palatina Cõmodiana cõseruandus XI. calen. Romanas, præsente iterum cos. Tertio meditans de profectione à Senatu & populo retentus est. Vota pro eo facta sunt Nonis Pijs Fusciano iterum cos. Hactenus ille. Meminit Herodianus in historia, sed mensium nomina non adscripsit. Idem, inquit, Commodus mensium uocabula cõmutauit, pro'q; antiquis nominibus noua de suis cognominibus adhibuit, & ad Herculem in primis referebantur, cuius ipse sibi cognomẽ adoptasset. Tacitus quoque Imperator mensem Septembrem Tacitum de suo nomine appellari iussit, quod eo mense & natus & factus esset Imperator, ut Vopiscus in eius uita prodidit. Legimus & Carolum Magnum Imp. nomina mensibus imposuisse, quæ ideo nõ adscripsimus, quod barbarum quiddam & teutonicum sonant. Si quis tamen ea deside ret, legat Eginardum eius olim ab epistolis, qui & hoc, & eius uitam utcunq; literarum monumentis mandauit. Sanè etiam legimus antiquos mensibus singulis sua præfecisse numina. Siquidem Ianuarij tutelam, uel ut dicunt, pontificium habere Iuno credebatur:

batur: Februarij Neptunus, Martij Minerua, Aprilis Venus, Maij Apollo, Iunij Mercurius, Iulij Iupiter, Augusti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Nouembris Diana, Decēbris Vesta. XII. enim hos deos antiqui penates & patrios, & ut putat Varr. Vrbanos uocabant, quos Apuleius & Martianus Ennij hoc disticho cōmemorant:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Sed & XII. hi dei celebrabant à græcis scriptoribus, apud quos eorum crebra adeò est mentio, ut superuacaneū sit de his plura dicere: unde & ara duodecim deorum.

Quoniam de Latinorū mensiū interpretatione, & unde nomen acceperint, abunde me dixisse sentio, nōnihil & hoc loco de Atheniensium mensibus agendum uidetur, ijs operæpreciū facturus, qui transmarinæ eruditioni operam libenter nauant, uel quibus nō adeò ocium suppetit ex uarijs autoribus hæc ipsa colligere. Primū igitur Atheniensium mensem Hecatombæona dicimus, qui in nostrum Iunium ut plurimū cadit, sic, ut Hyperides & Harpocration aiunt, appellatus, quod in hoc mense plures Hecatombæ (genus id sacrificij) fierēt. Sunt qui sacra hęc Ioui dicata tradant à centum, uel certè à plurimis bobus dicta. Hecatombęa uero ipsa celebritas uocabatur. Sunt qui hunc mensem

Hecatombæon primus Atheniensium mensis.

Soli dicatum uelint, propter solstitiũ quod in eo fieri soleret, & magnificum eius Atheniensium sacrificiũ. Sunt qui κρόνιον, hoc est, Saturnium hunc eundem nominent, quòd, ut dixi, Ioui sacer sit, ut est apud Plutarchũ. Alij tamen diuersum faciũt, ut Cæcus in Hesiodi cõmentarijs, quẽ nihil ideo uidisse putat Gaza. Plutarchi interpres in Theseo Aprilem hunc mensem falso credidit. Dæsius, Iunius à Macedonibus dictus, ut Suidas, Psellus, Theophilus et Plutarchus in Aristide scribunt.

Metagetnion. Metagetnion secundus fuit Atheniensiũ mensis, qui nostro ferè Quintili respondebat. Hic, ut idem ait Hyperides in oratione quæ pro Xenippo dicta est, à sacrificijs nomen accepit, quæ in Apollinis Metagetnij honore celebrabantur, μεταγέτνια uocitata, ut Lysimachides ait in libro de Atheniensium mensibus, & Plutarchus in lib. de exilio, item Suidas. Hunc mensem Bœotij & Macedones πανήμον seu πανήμιον, utrũq; enim legimus, uocabant. Hic idem Carnius à Syracusanis dictus est, tametsi in Nicia Plutarchi interpres Maium mensem nostrum crediderit. Hinc & Sacra Carnia, & καρνεῖος Apollo, ut planè in Deorum cognominibus ostendimus.

Boëdromion. Boëdromiona tertium Atheniensium mensem uocitatũ legimus, qui Augusto nostro cõueniebat, à Boëdromijs nuncupatus, quæ celebritas erat cuidam ueluti

excurſioni ſimilis, quæ cum acclamatione fieret, unde & uocabulum deflexũ uidetur, à uoce ſcilicet & curſu. Meminit in Philippicis Demoſthenes. Philochorus & Harpocration in Ionem Xuthi filium hoc referũt, quod is multo ſtudio opem Athenienſibus tulerit aduerſus Eumolpum pugnantibus, Erechthei regis tempore: & βοηδρομεῖν aiunt ſignificare opem præſtare, & ad pugnã currere. Idem ferè Suidas. Sunt qui ſcribant Apollinem cognominatũ Βοηδρόμιον, cuius & in Bœoticis Pauſanias meminit. Plutarchus ex Hellanico Boëdromia tum inſtituta fuiſſe ſcribit, cũ Amazones Athenas Theſei tempore inuaſiſſent: quo in loco interpres deceptus, Boëdromiona exiſtimat Iunium eſſe apud nos. Quarta huius menſis inſtantis, legimus à Græcis Perſas ſuperatos, quæ dies ſecundum Bœotios, IIII. Panemi definentis fuiſſe teſtis eſt in Ariſtide Plutarchus, qui hanc ait huius uarietatis cauſam neminem mirari debere, cum eos, inquit, qui diligentiſsimè aſtrorum rationem tenere hoc tempore profitentur, aliud alĳ menſis principiũ & exitũ agant. Hęc quidem ille. Gaza quoq; ex Plutarcho in uita Camilli ſcribit, XX. eiuſdem menſis Athenis myſteria celebrari ſolita: quod ut uix credam Galeni uerba faciũt quæ ſunt de Elates, id eſt, abietis ſemine: Quod, inquit, tempus uocatur à Romanis

September, à nobis autem Pergami Hyperberetæus, Athenis myſteria. In quibus quidem Galeni uerbis nō mediocris ineſſe uidetur confuſio: nam & Auguſtum in Septembrem, & Septembrem in Hyperberetæū cōmiſcet, qui October potius eſt, ut paulò pòſt oſtendā. Sed & Demoſth. in Olynth. ait myſteria Boëdromione menſe celebrari. Plutarchus uero in Demetrij uita, myſteria diſtinguit in magna & minora, ab Athenięſibusq́; illa celebrari menſe Boëdromione, hęc uero Antheſterione. Idem quoq; Plutarchus in Phocionis uita: Vigeſima, inquit, die Boëdromionis cuſtodia inducta eſt, quo ſcilicet die magnorū myſteriorū Athenis agebātur ſolennia, & Iacchus, id eſt, Liber pater in Eleuſinē ex urbe trāſmittebatur. quo in utroque loco interpretes, Donatus uidelicet Actiaiolus & Lapus Florētinus, decepti ſunt: & cum his Guarinus quoq;, qui in Alexandro ait, Iunio menſe myſteria peragi Athenis ſolita. Atq; hæc ideo copioſius, ut oſtenderem quanta eſſet uarietas inter ſcriptores. SanèT. Liuius myſteriorū dies, initiorū dies dixit, lib. primo de bell. Macedonico. Meſori uero ab Aegyptijs dictus Auguſtus eſt, qui Harpocrati deo ſacer erat, ut Plutarchus in lib. Iſidis & Oſiridis ſcribit: quo etiam loco ait ipſum deum ſymbolum habere ſilentij, in eiusq́; menſis celebritate cani ſolere, γλῶσσα

τυχὴ

τυχὴ, γλῶσσα δαίμων, hoc eſt, lingua fortuna, lingua dæmon. quanquam in exemplarib. Plutarchi pro Harpocrate Carpocras perperàm legatur. Sed & Harpocratis Latini meminere Catullus, Varro, Seneca & Caſsiodorus. Mæmacterion quartus eſt Athenienſium menſis, ut pluribus Gaza cõtendit, Septembremq́ noſtrum ut plurimũ complectitur. quidam Auguſtum putant. Plutarchus in Ariſtide à Bœotijs ait Alaleomeniũ uocatum fuiſſe, huiusq́ XVI. die à Platæenſibus Græcis parentari, qui cõtra Perſas pugnando occubuiſſent. Val. tamen Harpocration Mæmacteriona quintũ menſem facit, à Mæmacteq́ cognominari ait, quo nomine Iupiter eſt cognominatus. Scribit Lyſimachides in lib. de menſib. Athenienſium, μαιμάκτην furore correptum ac turbidum ſignificare, q̊d hyems hoc menſe & aër turbari incipiat & mutationẽ capere. Vlpianus uero in iij. Demoſth. Olynth. hunc hyemis & pluuiarum menſem uocat, unde & noſtri Septembrem dicũt, quia ſeptimus eſt à Martio, & imbres habet. Aliqui tamen Octobrem eſſe exiſtimauere. Suidas etiam ineptius, & eum ſecutus Nucerinus pręſul, Ianuariũ interpretantur. September ab Aegyptijs Thoth dictus, quo eodem nomine & Mercurius uocatur. Huius quidem XIX. Aegyptij, ut Plutarchus autor eſt, ipſi Mercurio rem ſacrã faciebant.

Mæmacterion.

melleq; & ficu uefcebantur, illud identidem dicentes, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια. Plin. lib. 27. nat. hift. cap. xij. Tradũt, inquit, Aegyptij menfis quẽ Thiatin uocant die XXVII. Augufto menfe incurrente &c̃. Quidam eo loco putant Plinium Thoth mẽfem intellexiffe: ego quomodo non uideo, fi rectè perpendantur quæ de Aegyptiorũ menfib. paulò pòft referemus.

Pyanepfion. Pyanepfion fequitur, qui menfis eft quintus, hoc eft, October. A pyanis uero fabis Apollini facratis dictus eft, unde & Pyanepfia *Pyanepfia celebritas.* celebritas ipfa, quã cæteri Græci Panopfian uocant. Hæc VIII. huius menfis die Apollini, ut Apollonius & Suidas tradunt, agebantur. Pyanepfia tamen ipfi potius uocanda, quàm Panopfia putant: pyana enim coquũtur, & Erefione plectitur, ut ait Harpocra*Erefione.*tion. Erat autem Erefione ex facra olea ramus alba lana coronatus, ut ait Plutarchus: nam ἔριον lana eft. Hiftoriam copiofe in Thefeo Plutarchus eft executus, quo in loco interpres hallucinari uidet̃: ubi enim ὀγδόῃ ἱσταμένου πυανεψιῶνος legebatur, ipfe nonas Iulias repofuit, nam eo die Thefeus cum adolefcentibus è Creta in urbem fe recepit incolumis.

Ofcophoria. quo & eodem menfe Ofchophoria, quafi dicas Ramalia, celebrabantur. Idem tamẽ Plutarchus in lib. Ifid. & Ofirid. ait, quod Athyr apud Aegyptios eft, qui Pyanepfion ab Athenienfibus dicit̃, & à Bœotijs Demetrion.

ex quibus uerbis October cum Nouembri confunditur, eadem ratione qua paulò antè in Boëdromione recitauimus. Porrò κυανέψια etiã Pyanepsia dicebantur, quoniã πυάμους prius dicebant fabæ quàm κυάμους, ut est apud Phauorinum. Anthesterion secundum ordinẽ Gazæ sextus est mensis, qui nostro Nouembri ex parte respondet, dictus, ut plerique autumant, quod prata floribus priuantur, παρὰ τὸ ἄνθος στερῶ. Quidã & anthesterida Dionysia & Bacchanalia interpretantur. ἀνθεστήρια quidem Theophilus scribit Dionysia dici: sic enim, ait, ea Athenieñses uocãt: & Anthesteriona mensem, quoniã tunc terra florescere incipiat: uel quod in ea celebritate flores inferri solerent, unde & prouerbium emanauit θύραζε κᾶρες, οὐκ ἀνθεστήρια. hoc est, foras cares, non anthesteria. quasi dicat, Ite foras cares, nõ anthesteria sunt. Notissimum & illud est, Hædera post anthesteria. Thucydides in ij. ait, Limnis Baccho sacra fieri x. huius mensis. Suidas χόες hoc ipso mense XII. celebrari prodidit. Apollodorus omnem ipsam celebritatem Bacchi anthesteria uocari ait, per partes uero pithœgia, choas, & chytran. Val. autem Harpocration ita scribit: Anthesterion octauus est Atheniensium mensis Baccho sacer, sic uocatus, ut Hister in ij. Synagoges ait, quod plurimũ ex terra tum flores nascantur. Quod si uerũ

Anthesterion.

eſt, neſcio quo pacto procedat ratio Gazæ, qui autumnalem menſem hunc conſtituit: plures uernalem, ut Macrobius & Philoſtratus, cui, ut ſophiſtæ, parum Gaza fidit. Idem tamẽ Philoſtratus in iiij. de Apollonij Thyanei uita, cum in eo ait Dionyſia celebrari, autumnalem facere uidetur. Certè Plutarchus in Syllæ uita in hunc propè modum ſcriptũ reliquit: Calẽdis Martijs, qui dies ad Antheſterionis menſis exordiũ coincidit. quibus ex rebus omnibus, mihi planè non liquêre pronuncio. Poſsideon, & Poſideon à Græcis aliquando enunciatur, à Neptuni & Palladis certamine dictus. Hyperides, ut eſt apud Harpocrationem, ſeptimũ hunc Athenienſium facit, quem ſecuti Suidas & Theophilus, Decembrem noſtrum interpretantur. In hoc menſe ſolſtitium brumæ fieri ſcribit Plutarchus in Cæſare, & pluribus oſtendit Gaza, qui & illud ait, quod quoniam hoc menſe Alcyonij dies ſunt, ab aliquibus auis ipſa Alcyon Poſsideonis appellata eſt. Apellæus à Macedonibus, ait Suidas, dictus eſt, & Chœac ab Aegyptijs. Ioſephus quoq; lib. xij. antiquit. nec ſemel ait mẽſem Casleu Hebræorum, Apellæum eſſe apud Macedonas. Non ferendo errore Græci quidã aguntur & Latini, qui hunc ipſum Elaphobolionа crediderũt. Porrò & in hũc cadere Ianuarium teſtis eſt Plutarchus in Cæſare: Inſtabat,

Poßideon.

bat,inquit,ſolſtitium brumale,in menſe Ia-
nuario inſtante,qui eſt Poſideon Athenien-
ſibus. Gamelion à Iunone uocatus, quæ *Gamelion.*
nuptijs præerat.Hinc &Gamelia ſolennitas
nuptialis.conſentiunt & in hoc Demoſthe-
nes & Iſæus,teſte Harpocratione,& Harpo
crationem ſecutus Suidas. Didymus Gram
maticus in cõmentarijs in Iſæum reprehen-
ditur, quod parum rectè de hac re obſerua-
uerit : nam quem citat Phanodemũ eius rei
mentionẽ facere,apud eum nihil inuenitur.
Idem Didymus in ijs quæ in Demoſthenem
ſcripſit, Gamelion ait eſſe τὴν εἰς τοὺς φράτορας
εἰσαγωγὴν τῶν γυναίκων,hoc eſt,mulierum indu
ctionem ad ſodales & contribules : nullam
licet eius quod exponit demonſtrationẽ af-
ferat.Hic mẽſis,ut ait Suidas,noſtro Ianua-
rio reſpondet, à Macedonibus eodem teſte
Audynęus,& νυχίων dictus. Elaphebolion *Elaphebolion.*
dictus,quod ceruorum in primis uenationi
ſit aptus.Elaphebolia quoq; hoc menſe cele
brabantur. Sũt qui putent quod hoc menſe
cerui Dianę ſacri Elaphebolio ſacrificaren-
tur, quod Phauorinus ſcribit. Gaza de hu-
ius menſis ordine plura ex Thucydide & A-
riſtotele.A Macedonibus Peritius uocatus,
teſte Suida & Ioſepho.In noſtrum Februa-
rium cadit.Hunc,ſi modò Februario aptare
uelimus,tribus annis XXVIII.dierum erit:
quarto uero,hoc eſt,intercalari,XXIX.die-

Munychion. bus conſtabit. Munychion à Munychijs Dianæ ſacris dicitur, & Munychia Diana ipſa nuncupata eſt. Hyperides in oratione Xenophili decimum hunc menſem facit, ut ait Harpocration. Suidas tamen hunc ſecundum autumat, magno, ut mihi uidetur, errore. Hoc menſe, ut Plutarchus ſcribit XVI. Lyſander Athenis potitus eſt. Qui Munychion & Nychion eoſdē putauere, falſi ſunt: nam hic quidem Ianuarius eſt Macedonū, ut iam dixi, Munychion uero Martio ferè noſtro congruit, & à Macedonibus Diſtros dicitur, ab Aegyptijs Phamenoth: quod cū liquebit ex his quę paulò pòſt trademus, planius quoque fit ex Anatolij uerbis in lib. de Paſcha, ubi ait: Eſt ergo in primo anno initium primi menſis, quod eſt XIX. annorum circuli principium, ſecundū Aegyptios quidem menſis Phamenoth XXVI. die, ſecundum Macedones Diſtri menſis XXII. ſecundum Romanos uero XI. calen. Aprilis &c. Quibus ex uerbis uidemus nobiſcum cōuenire Macedones in mēſis principio, hoc eſt, ut idem principium Martius & Diſtros habeant: ab his uero IIII. diebus Phamenoth euariat. *Thargelion.* Thargelion menſis dictus eſt, q̊d iam terra caleſcat, quaſi θερεῖ γῆ. unde & Thargelia ſacra Apollinis & Dianæ, quorum meminit Hyperides in oratione pro Polyeucto, & Harpocration. In his ſcribit Suidas, olla

ſeminum

ſeminum & ſacro iure plena fructuum primitias decoqui ſolitas. Aprili hic noſtro ut plurimũ conuenit. Delij Apollinẽ affirmãt Thargelionis VII. natũ eſſe. Idem Laërtius in Platone, &, ut idem ſcribit in Socrate, eiuſdem priore, hoc eſt VI, Dianã. Sedenim menſem hunc auſpicatiſsimũ Græcis fuiſſe legimus, ut pluribus eſt eorum hiſtorijs cõprobatum. Nam & ſub huius finem, hoc eſt, ὀγδόῃ φθίνοντος, Ilium captum affirmant, ut ex Halicarnaſſeo Dionyſio, Ephoro & Plutarcho diſputat Gaza. Quare mirum eſt Plutarchi interpretem deceptum in Camillo, Thargeliona putaſſe noſtrum Februarium. Apaturia inſuper ſacra hoc ipſo menſe celebrari ſolita prouerbium innuit, quod tale eſt, ἀπιὼν ἐς ἀπατούρια ἐπανῆκες θαργηλιῶνα. hoc eſt, In Apaturia ingreſſus, redijt Thargeliona. Miror uirum doctum in hoc prouerbio Maium putaſſe. Thargelia quoq; in Pericle Plutarchus unã Hyadum fuiſſe ait, ſed hoc nihil ad nos. *Apaturia.*

Scirophorion porrò ultimus eſt Athenienſium menſis, qui in Maium noſtrum cadit, dictus à Sciris, id eſt, umbraculis, quod hic menſis ædificationibus aptus ſit. σκίρα etiam celebritas fuit apud Athenienſes, quam ex noſtris quidam perperàm in XII. Martij cadere exiſtimarunt: à qua celebritate, ut pleriſq; placet, menſis uocatus eſt. Sanè qui de menſibus Athenienſium, eorumq; feſtiuita- *Scirophorion.*

tibus ſcripſerunt, σκίρον aiunt umbraculum fuiſſe, quod ex arce, hoc eſt, Acropoli, delatū eſt in locum Sciron etiam nuncupatū, unde dicata Mineruæ mulier, & item Neptuni ſacerdos & Solis prodibant. Deferebant uero qui Eteobutadæ uocabantur: ij nobiles fuere Athenis illuſtres, à Bute ſacerdote prognati, ex qua familia ſacerdotes ſeligi ſolebant. Erat autē ſymbolon hoc ædificandi, & tempus ad id inſtare idoneum. Colebant ad hęc Athenienſes Sciriada Mineruam, quam Philochorus in i. Atthidos ait nuncupatam à quodam Sciro Eleuſinio uate. Praxion uero in ij. Megaricorū à Scirone. Alij celebritatem hanc in ipſo caloris & æſtus uigore celebratam tradūt. Sunt & qui aliam hiſtoriam afferant, quod Theſeus ab occiſo Minotauro reuerſus, Mineruam ex σκίῤῥα, id eſt, terra uel gypſo fecerit: nam ſic quidam terram albam uocant. Alij à Sciro quodam Salamina inhabitante. Inuenio & pelles uictimarū ex ſacrificijs Iouis Milichij & Cteſij ſeruari ſolitas, quibus in umbraculorū pompa uterentur. græcè autem eæ pelles διὸς κώδια uocatæ ſunt. Sed de ipſo nomine iam ſatis ſuperq; attulimus. Demoſthenes in oratione κατὰ μειδίου, decimū hunc menſem facere uidetur: ut etiam notat Vlpianus, licet corruptum exemplar exiſtimē: nam idem ſcribens Suidas δωδέκατον legit, id eſt, duodecimum.

Atq;

Atq; hactenus de XII. mensibus Atheniensium, in quibus plurimũ laborauit Theodorus Gaza, ut ad hunc ordinẽ redigeret. Nũc de alijs quibusdã subiungemus: nam de cunctis quî fieri posset, in tanta præsertim uarietate scriptorũ? Lenæon mensis à Baccho dictus, qui Lenæus uocatur. De quo mense Theophilus & Ioannes Grãmaticus, super ea Hesiodi uerba, μῆνα δὲ ληναιῶνα, Mensem autem, inquit, poëta Lenæona Ianuarium uocat, qui Lenæus ab Ionibus dictus est, quoniam Pithœgia sacra illo mense fiebant: uel quoniam Dionysij celebritas eo mense agebatur, quæ Ambrosia diceretur: sed Brumalia, inquit, uocant Romani, qui & Bacchum Brumum uocant. Fuit cum ego putarẽ Bromium legendum esse. Proclus uero Diadochus in eodẽ Hesiodi loco ait à Bœotijs Lenæona uocari, cum sol in Capricornũ ingreditur, idq; ex Plutarchi sentẽtia: suspicaturq; ipsum Bucæron dicere, quod in eodem uersu βούδορα ait, q̃d scilicet plures boues eo mense intereant. Vel Hermæon, inquit, intelligit, qui post Budura est mense Gamelione, in quo ab Atheniensibus Lenæa celebrabañt. Iones quidem, ut idem Proclus scribit, Lenæona uocant. Tum & aliam sententiã subdit, Lenæona uidelicet à Bœotijs sic nuncupari, q̃d in eo mense uina inducantur uel colligantur: hic enim mensis principiũ est hye- *Lenæon mensis.*

mis. Alij autem ſic dici exiſtimant, quod lenæa, hoc eſt, uellera ouium uel caprarũ pelles ſic uocentur: uel quoniam Baccho hoc menſe feſtũ faciebant, quod, ut diximus, Ambroſiam uocabant. Porrò & antiquum in ipſum Heſiodum ſcholium Lenæona Decembrem menſem eſſe aſſerit, quẽ Aegyptij Chœac, in quo quam diximus celebritatem antiqui peragebant. Atq; perinde de Lenço-
Xanticus. ne hactenus. Xanticus qui uocatur à Macedonibus, Aprilis noſter eſſe creditur, ab alijs Martius. In hoc menſe, ut Socrates ſcribit in hiſtoria, Antiochenſes ſanctum Chriſti paſcha celebrabãt: ab Aegyptijs Pharmuthi uocatur, teſte Plutarcho in Theſeo, & Suida. Ioſephus quoq; ita in ij. antiquit. Præcepit, inquit, Moſes ut ſacrificium paratũ haberent, eſſentq; inſtructi à prima die Xantici menſis uſq; ad XIIII. qui apud Aegyptios quidem Pharmuthi, apud Hebræos autẽ Niſan uocatur, Macedones uero Xanticũ eum appellant. Hæc ille. Sunt tamen qui hoc nomen cum afflatu ſcribãt, hoc eſt, Xanthicus, & Xanthica ipſa celebritas.. Ab aliquibus quoq; hic menſis Hippodromion dictus eſt, ſed hi meo iudicio falluntur: quippe ſi Plutarcho credimus in Camillo ſcribẽti, à Bœo-
Hyperberetæus. tijs ſic uocatur noſter Iunius. Hyperberetæus etiam menſis, ut alij plerique, uariè refertur: quidam enim, ut oſtendemus, Octobrem

brem eſſe ſtatuunt, eumq; Macedonum men ſem, ut Ioſephus & Suidas: qui & inde prouerbiũ factum ait de procraſtinantibus moramq; trahentibus, quod Hyperberetæus ultimus ſit Macedonũ menſium, & anni finis: quę enim eo menſe proueniũt, ſerotina ſunt, & poſt legitimũ tempus. Zenobius quoque Hyperberetæa eadem ratione, qua Suidas, prouerbium cõmemorat, hoc eſt, de ijs quæ ſerotina ſunt. Galenus tamẽ apud Pergamũ patriam ſuam ait Hyperberetæũ Septembrẽ eſſe. In Decretis uero, xviij. diſt. de Concilio Antiocheno hæc uerba recitantur: Secundũ inquit, Conciliũ Idibus Octobris habeat̃, qui dies apud Græcos Hyperberetęi menſis decimus inuenit̃. Quę uerba ita exponas, q̊d Idus Octobris cadũt intra ſecundã decada, id eſt, poſt decimã diẽ. Omnis enim menſis ut oſtendemus, in tres decades diuiditur, & ſecunda propè decas dicitur. Bedas in lib. de natura rerũ: Et canones, inquit, qui dicuntur Apoſtolorum, idem antiquioribus literis edocuere, ubi duodecima dies menſis Hyperberetęi, quarto Idus Octobris eſſe memoratur. Hæc ille. Phyſius ſeu Byſius menſis dicitur à Delphis, teſte Plutarcho in græcis problematis, quæ græcè inſcribuntur κεφαλέων κατανγραφὴ ἑλληνικῶν, ſed quis ſit non declarat, tantum dicit ſeptima eius natum Apollinem. Dies ipſa πολύφθοος appellatur, & eadem *Phyſius.*

oraculum editum. Cum ergo ex eius uerbis parum constet quinam sit is mensis, eum tu Februarium, hoc est, Thargelionem, de quo paulò antè diximus, cognosces ex Diogene Laërtio, qui statim in Platonis uitę initio ita ait: Nascitur Plato, ut testis est in Chronicis Apollodorus, LXXXVIII. Olymp. VII. Thargelionis, qua etiam die natum Apollinem Delij putant. Idem Laërtius in Socratis uita: Nascitur, inquit, Socrates, ut ait Apollo dorus in Chronicis, sub Apsephione, LXXVII. Olymp. anno IIII. Thargelionis mensis VI. quo die lustrant Athenienses ciuitatem, Dianamq; natam Delij tradunt. Hęc ille. Notissimũ uero est Dianam ante Apollinem in lucem æditam, quin & matri Latonæ obstetricis munus exhibuisse dum Apollinem æderet. Atq; de his hactenus.

Superest, ut postquam de Romanorũ & Atheniensiũ mensibus egimus, uarias quoque gentium nomenclaturas afferamus, ut saltem ex ipsa nominũ uarietate nonnihil legentes oblectemus, cum tot nationum, uno quasi intuitu, mensiũ uocabula comprehenderint. A Græcis uero primũ exordiemur, apud quos tanta confusio, ut planè nõ liquê re etiam Gręcorũ doctissimi fateantur. qua in re de solis Atheniensium mensibus adeò Theodorus Gaza uir cum græcè tum latinè eruditissimus elaborauit, ut eorum ordinẽ

osten-

oſtenderet:id quod an rectè effecerit,ego temerè nihil ſtatuo, quidam certè ambigunt. Sed neq; ille de alijs tot Græcorũ prouincijs inſulisq́; quicquam attulit. Cauſas quidem égo tantarum uarietatum eas in primis eſſe crediderim, quod uarijs in locis & regionibus autores cum ſcriberent, non ſemper Atticis menſibus uſi ſunt, nec eorum inſuper ordine,uarijs ſcilicet nationibus & prouincijs uaria nomina & menſiũ ordines habentibus,ut in Italia quoq;,cum & eorũ quidam menſes à lunæ,quidam à ſolis curſu metirentur, ut quibus nõ paruũ eſt diſcrimen, ut hodie quoq; inter nos &Hebræos. Varia præterea annorũ principia, ut à nobis iam planè antè patefactum eſt,uarietatem induxerũt. Aliam refert Theodorus cauſam,quæ & mihi quidem ſatis arridet: Romanos ſcilicet imperio potitos in cauſa fuiſſe, ut ordines & uocabula mutarentur:quin & pleriq; Romanis uſi ſunt nominibus, atqueadeo magis hac tempeſtate. Nam in quotquot eorum,quæ mihi uidiſſe cõtigit,μηνολογίοις,hoc eſt,ut nos loquimur, Calendarijs,id eſt,Faſtis, non eos alijs uti nominibus quàm noſtris cõſpexi. Hoc quidem loco nomina ipſa ut in græcis pleriſq; codicibus etiã uetuſtis diſtinctos offendi,tanquam in tabellis afferam. Sanè noſtræ religionis qui græcè ſcripſerunt, Macedonũ potius menſibus uſi ſunt,

quod ea tempestate magis uulgati essent, & iam uidebantur Atheniensium menses anti quati, quod & ex Synodis & Cōciliis, & qui dem antiquioribus, colligitur, Apostolorū scilicet, Niceni & Antiocheni. Macedonum igitur mēses ego inprimis recitabo. Sunt au

Macedonum menses.

tem hi: αὐδυναῖος, qui perperàm ab aliquibus αὐδωναῖος dicitur: περίτιος, δύστρος, ξαντικὸς, siue ut alij scribunt ξανθικὸς, ἀρτεμίσιος, δέσιος, qui & uocatur δαίσιος à Plutarcho in Alexandri uita. πανέμος, qui & πανέμιος, λῷος, γορπιαῖος, ὑπερβερεταῖος, δῖος, ἀπελλαῖος. Sunt qui eos ita cō memorent, & à Decembri exordium sumūt, ob Christi uidelicet diē natalem: ἐλαφηβολιὼν, νυχίων, θαργηλιὼν, δύστρος, ξανθικὸς, ἀρτεμίσιος, δέσιος, πανέμος, λῷος, γορπιαῖος, ὑπερβερεταῖος, δῖος. Psellus & Theophilus alijq́ue nonnulli Macedonum menses esse hos aiunt, qui sunt à XII. signis Zodiaci: αἰγοκέρως, ὑδροχόος, ἰχθὺς, κριὸς, ταῦρος, δίδυμος, καρκῖνος, λεὼν, παρθένος, ζυγὸς, σκόρπιος, τοξότης.

Atheniensium.

Atheniensium uero menses à Theodo ro Gaza hi feruntur, eosq́ue à solstitio æstiuo numerare incipit: ἑκατομβαιὼν, μεταγειτνιὼν, βοηδρομιὼν, μαιμακτηριὼν, πυανεψιὼν, ἀνθεστηριὼν, ποσειδεὼν, γαμηλιὼν, ἐλαφηβολιὼν, μουνυχιὼν, θαργηλιὼν, σκιροφοριὼν, quos hoc ordine Gaza cōnumerat ex Aristotelis, Theophrasti, Thucydidis, De mosthenis, Aeschinisq́ue & Plutarchi senten tia, laboratq́ue nimis ut conueniant. quo loco & illud uerissimè scribit, difficillimū esse ho-

sce ad

ſce ad Romanorũ menſes poſſe referri, id q̊d & cauſa eſt, ut inter autores differentia ſæpe nõ parua eſſe uideat͛: ſinguli enim Athenienſium menſes inter binos Romanorũ interſe runt͛, hoc pacto: Hecatombæon Iunij partẽ extremã, & Iulij priorẽ attingit. Sic Metagetnion, Iulij & Augusti: Boëdromiõ Auguſti & Septẽbris: & ſic per ordinẽ de cæteris. Sed & hoc planè nõ perficit, quin & illi occurrũt diuerſorũ loca ſcriptorũ, ex quibus minus ſolida ac rata cognoſcit͛ doctiſsimi hominis diligentia: quo fit ut hoc loco lectorẽ admonendũ operæpreciũ duxerim, rem omnino difficillimã eſſe, Græcorũ menſes Romanis coaptare, ut ſcilicet planè cõueniant, ut etiã Aegyptiorũ. Totius enim, mea quidẽ ſententia, cõfuſionis cauſa à ſolis & lunæ differẽtia pendere uidetur. Nam quotquot ego id tentaſſe uidi, hallucinatos magis minúſue fuiſſe cõſpexi. Quare meã hac in parte diligentiã requiri ſummopere non deſidero, tantũ recitabo quæ uaria ac diuerſa legendo comperi. Sed, ut ad inſtitutũ redeam, alij inter Grçcos hos potius menſes complectuntur, atq; hoc ordine afferunt: ἑκατομβαιὼν, λῳαιὼν, κρόνιος, βοηδρομιὼν, πυανεψιὼν, μαιμακτηριὼν, ἀνθεστηριὼν, ποσειδὼν ἢ ποσειδεὼν, γαμηλιὼν, ἐλαφηβολιὼν, μουνυχιὼν, ἀνηφοριών. At uide quæſo quanta ſit Græcorum confuſio. Sunt & alij qui ita diſtinguunt, ut Pyanepſiona dicant Ianuarium

noſtrum eſſe, Elapheboliona Februarium, Munichiona Martium, Thargeliona Aprilem, uel à floribus Antheſteriona, Sciropho riona Maium, Hecatombæona Iunium, Metagetniona Iulium, Boëdromiona Auguſtum, Mæmacteriona Septembrem, Hyperberetæum Octobrem, Gameliona Nouembrem, Poſideona Decembrem. Addamus & aliarum nationũ menſium nomina, quæ in Pſelli aliorumq́ꝫ libris inuenimus, in primisq́ꝫ Cypriorum.

Cypriorum menſes. Primus ἀφροδίσιος, ἀπογονικὸς, αἰνεικὸς, ἰούνιος, καισάρειος, σεβαστὸς, αὐτοκρατορικὸς, δημαρχεξούσιος, πληθύπατος, ἀρχιερεὺς, ἑστιος, ῥωμαῖος.

Bithynorum. Bithyni uero hos ſuos menſes enumerãt: ἥρεος, ἕρμος, μητρῶος, διόνυσος, ἡράκλειος, δῖος, βενδιδαῖος, στρατήγιος, ἄρειος, περιώπιος, ἀφροδίσιος, δημήτριος.

Cappadocum. Cappadoces quoqꝫ hos ſuos habẽt menſes: τιρὶξ, ματὰ ξανθηρὶ, μιθρὶ, ἀπομενὰ μαὲθ, ἀρθραὶ, τεθουσία, ὠμονία, σονδαρὰ, ἀρταεστὶν, ἀργόθητα, uel ut in aliquibus exemplaribus comperi, ἀραιότατα.

Aegyptiorum. Sunt & Aegyptiorũ menſes hi, quos obſeruauimus: τυβὶ, μεχὶρ, φαμενὼθ, φαρμουθὶ, παχὼν, παϋνὶ, uel ut alij, παϋρὶ, ἐπηφὶ, μεσορὶ, θὼθ, παοφὶ, uel ut alia eſt lectio, φαωφὶ, ἀθὺρ, χυὰκ, uel ut alij, χιὰχ, uel potius χοιάκ. Certe hos Aegyptiorũ menſes Iſaacus Argyrus, & Aëtius medicus uiri doctiſsimi qui Alexandriæ uerſati ſunt, hoc modo cõmemorant, ille in demonſtratione quam & alibi citauimus, hic in xij. ſuæ medicinæ uolumine, ſic à Septembri exordientes:

dientes: Thoth, Phaophi, Athyr, Chœac, Tybi, Mechir, Pharmenoth, Pharmuthi, Pachon, Payni, Epiphi, Meſori. Quo eodẽ modo & Bedas uir multæ lectionis, qui & ipſos ita noſtris menſibus coaptat: Aegyptij, inquit, propter ocyorem lunę diſcurſum, menſes ad ſolis curſum, quod tardior ſit, reduxerunt. Thoth, inquit, IIII. calen. Septembris. Phaophi IIII. calen. Octobris. Athyr IIII. calen. Nouembris. Chœac V. calen. Decembris. Tybi VI. calen. Ianuarij. Mechir VII. calen. Februarij. Phamenoth V. calen. Martij. Pharmuthi VI. cal. Aprilis. Pachon VI. calen. Maij. Pauni VII. calen. Iunij. Epephi VII. cal. Iulij. Meſori VIII. cal. Auguſti, quẽ X. cal. Septembris die terminant, reſiduosq́; quinq; dies ἐπαγόμενας uel intercalares, ſiue additos uocãt, quibus etiam quarto quoq; anno diem ſextũ, qui ex quadrantibus conficitur, annectunt. Et hæc cõſonant his quæ antè de intercalatione docuimus. Porrò ſi accuratè hanc Bedæ deſcriptionẽ obſerues, facile quædam emendabis, quæ ſunt in epiſtola diui Ambroſij ad Aemilię epiſcopos de ratione paſchatis, ubi & perperàm inuerſa ſunt nomina quædam menſium Aegyptiorum, & alterum pro altero. Græca etiã Arati cõmentaria aliquando parum rectè reſpondent, ut cum ſcribunt, Epephi Auguſtũ eſſe, cum alibi Iuliũ tradiderint. Extat uero græ-

cum epigramma incerti autoris, in quo hoc modo mensiũ nomina referunt, & quid quoque mense apud Aegyptios agat XII. uersib. declarat, quod lib. 1. epigrãmatum legitur εἰς ὥρας καὶ μῆνας. Sic autem habet, ut meis uerbis referam. Incipit uero à Septembri:

Primus Thoth docuit falces inferre racemis.
Capturamq́; Phaothi dabit piscantibus amplam.
Pleiadum sed Athyr uergentia tempora monstrat.
Chœac cultarum segetum mox gramina pandit.
Tybiq́; purpureum consultum uestibus ornat.
Nauigijsq́; Mechir signat percurrere marmor.
Ostendit Phamenoth duri fera prælia Martis.
Sed Pharmuthi rosis uernis prænuncius extat.
Florentesq́; Pachon campos iam falcibus urget.
Nuncius autumni & fructus solet esse Payni.
Vuam pampineus retinens maturat Epephi.
At Nili Mesori fœcunda exuberat unda. Hos ego, nõ ut cum Græcis certarem, à quorum uenere quantum absim, nõ ignoro, sed ut ignaris utcunq; opem ferrem, latinos feci.

Hebræorum menses.

Iam uero ad Hebrçorũ mẽses accedamus, quos illi patria uoce Hodes nominãt: nec minorẽ in his colligẽdis uarietatẽ offendimus, quàm in Græcis uel Aegyptijs. Exordiũtur autẽ illi bifariã, uidelicet à Martio, seu potius Aprili, seu, ut uerius alij dicũt, à uerno æquinoctio: secundũ legẽ latam à Mose, uel secundum mũdi creationẽ in æquinoctio autũnali, ut antè docuimus. Nos hoc loco Mosis & legis

legis ordinē ſequamur. Primus igitur mēſis eſt Niſan, tum Hiar, Pſethoan, Thamne, Ab, Elul, Therſi, Murionan, Casleu, Tebethi, Sabath, Adar. In alio uero peruetuſto codice ita cōſcriptos offendi: νισὰν, σηογὰν, ἰβραὰδ, θερσὶ, ἀλσὺ, σαφὰτ, ἰαὶ, θαμνεὶ, ἰοὺλ, μυρσὺ, τυμβὶ, ἰλάν. Bedas quidem ipſe hæc eſſe Hebræorū menſiū uocabula prodidit: Niſan, Iar, Siuan, Thamul, Elul, Theſri, quem ob collectionem fructuum & celeberrimas in eo feſtiuitates annum nouum appellat, caditq; in noſtrū fermè Octobrem, &, ut quidam magis uolunt, in Septembrem: idcirco ſcribit Hieronymus poſt collectionē frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, Octobrem fuiſſe primū menſem, & Ianuariū quartum. Tum ſequit̃ Mareſuan, Casleu, Tebeth, Sebath & Adar. Comperio tamen apud autores Adar Syrorum lingua Sabe uocari, ſicuti Iar, Zio uel Zin, hoc eſt, Aprilem à florum ſplendore. Legimus & Chaldæorū, & Babyloniorū ac Hebræorum menſes ita uocari, parum uoce deuia ab iam cōmemoratis: Tiſri, Martheſuan, Chisleu, Teueth, Seuat, Adar, Niſan, Hyar, Siuan, Tamuz, Ab, Elul. Sed & uulgò hoc modo à Septēbri, & dierum anni & menſis numero addito, commemorātur: Tiſrim primus, qui & Tiſri, dies XXX. Tiſrim ſecundus, qui & Martheſuan, XXXI, hoc eſt anni LXI. Remiz primus

xxx. hoc eſt, xci. Remiz ſecũdus xxxi. hoc eſt, cxxii. Sabath uel Scebath xxxi. hoc eſt, cliii. Adar xxviii. hoc eſt, clxxxi. Niſan xxxi. hoc eſt, ccxii. Idar uel Iar xxx. hoc eſt, ccxlii. Naziran xxxi. hoc eſt, cclxxiii. Tamus uel Tamuz xxx. hoc eſt, ccciii. Abh uel Au xxxi. hoc eſt, cccxxxiiii. Eyul uel Elul xxxi. hoc eſt, anni ſumma ccclxv. cum tamen ſecundũ legem & antiquos ritus cccliiii. dies eorum annus habeat, & xii. lunas, hoc eſt, lunares menſes. Anno uero intercalari, qui tertio quoq; anno celebratur, xiii. contingunt lunares menſes, bisq; Adar numeratur, & prior quidem ſimplici uoce Adar, hoc eſt, Februarius: poſterior uero Veadar, hoc eſt, & Februarius, uocatur. Sanè & Niſan, & Nouorũ menſem uocatum uidemus, & paſchatis ceremonijs dicatum, de quo & Hieronymus in Iezechiele, & Ambroſius ad epiſcopos Aemiliæ de Niceni concilij inſtitutis agens: Ipſum, inquit, menſem Nouorum rectè cuſtodierũt, quia in Aegypto hoc primo menſe noua ſecantur frumenta. Hic autem menſis & primus eſt ſecundum Aegyptiorũ prouentus, & primus ſecundum legem, & octauus eſt ſecundum conſuetudinẽ noſtrã: Indictio enim Septembri mẽſe incipit. Octauo igitur menſe calendæ Aprilis ſunt. Incipit autem menſis non ſecundum uulgarem uſum,

usum, sed secundum consuetudinē peritorū ab æquinoctio, qui dies est XII. cal. Aprilis, & finitur XI. cal. Maij. Hæc Ambrosius. Huius igitur mensis spaciū, ut ait Beda, propter multiuagū lunę cursum, nūc in Martiū, nūc in Aprilem cadit, nunc aliquot Maij dies occupat: sed nostro Aprili sæpius deputatur, quia semper in eo uel incipit, uel desinit, uel etiam totus includitur. Hoc autem tempore propter æquinoctij anticipationē, quam uocant Astrologi, cum nostro Martio concurrit. Porrò qui Thamul, rectius Thamuz dicendus, quem aliqui sine afflatu proferūt, Tamuz: sic enim Hebræi & Syri Adonin uocant, qua de re Hieronymus: Quia, inquit, iuxta gentilem fabulam in mense Iulio amasius Veneris & pulcherrimus iuuenis occisus, & deinceps reuixisse narratur, eundem Iulium mensem eodem appellāt nomine, & anniuersariam ei celebrant solennitatē, qua plangit à mulieribus quasi mortuus, & postea reuiuiscens canitur atque laudatur. Et quia eadē gentilitas huiusmodi fabulas poëtarum, quæ habent turpitudinem, interpretatur subtiliter, interfectionē & resurrectionem Adonidis plāctu & gaudio prosequēs, quorum alterū in seminibus quæ moriuntur in terra, alterū in segetibus quibus mortua semina renascuntur, ostendi putat. Hactenus Hieronymus: atq; hæc ideo ego, quo

niam quidam, ut uidisti, Iunium, Hierony-
mus Iulium Tamul seu Tamuz appellant.
Scribit & idem Hieronymus, Tebeth deci-
mum Hebræorũ esse mensem, qui apud Ae-
gyptios Tybi, apud Romanos Ianuarius.
In Zachariæ uero prophetia XI. mensis Se-
bath dicit͛, qui in Ianuariũ caderet, si à Mar-
tio annus exordiat͛. Sed attende quęso quan
ta sit uarietas. Innuere quoq; uidetur Iose-
phus lib. antiquit. 1. cap. 5. alia fuisse mensiũ
uocabula antequam, ut ostendimus, sic ordi
nata essent: ita enim ille scribit ubi de catacly
smo agit: Contigit, inquit, hęc clades DC. an
no natiuitatis Noë, mense secũdo, qui à Ma-
cedonibus Dyo nuncupatur, ab Hebręis au
tem Marachath seu Amarsuane: sic enim in
Aegypto annũ constituerunt. Moses autem
Nisan mensem, qui est Xanticus, primũ in fe
stiuitatibus definiuit, in quo ex Aegypto He
bræos eduxit. Nusquã em̃ Marachath seu A-
marsuane mensiũ nomina cõperi, licet ideo
multa uolumina euoluerim, nisi forte pro
Marthesuan, seu Marchesuan, seu Maresuan
sit positus. Idem etiã Iosephus lib. antiq. 4.
ait Aarona uita functũ mense Hebræorũ Se
debath. Ita enim scribit: Aaron mortuus est
secunda luna mensis, qui apud Athenienses
quidem Hecatombæona, alij Mæmacterio-
na, apud Macedones autẽ Loos (nõ Lochos
ut habent exẽplaria uulgata) apud Hebręos
uero

uero Sedebath, apud Romanos appellatur Auguſtus. At noſtri ſcriptores Aaronis dič obitus calen. Quintilis fuiſſe ſcribunt: & ſi quis contenderet, Sebath uel Seuath, qui & Sabath, nomen eſſe menſis, hoc eſt, Ianuarij, multo teneretur errore. Idem Ioſephus lib. ij. aduerſus Appionem: Nam duodecimus, inquit, menſis, qui apud Iudæos Adar, apud Macedones Diſtros uocatur &c̃. Sed huiuſmodi uarietates quomodo accidant, nunc haud ſatis quiſquam prodere poteſt. Addam & hic breuiſsime Hebræorũ celebritates. In primo igitur menſe legali, hoc eſt, Niſan, Paſcha celebratur, & ſeptem azymorum dies, quos incipiunt XIIII. die menſis ueſperi. In ſecundo menſe nulla eſt præcipue feſtiuitas. In tertio uero Pentecoſtes celebratur ſeptimo die, in honorem legis acceptæ. In quarto menſe ieiuniũ fractarũ tabularum obſeruatur. In quinto ieiunium deſolationis urbis ſanctæ & templi: quæ eodem die contigiſſe quidam ſcribũt, ſub Nabuchodonoſore, & poſtea ſub Veſpaſiano: unde in ſeptimo apud Ioſephum de bello Iudaico, quidam legendum putant Hau pro Auguſto. In ſexto menſe nullam pręcipue celebritatẽ legimus. In ſeptimo, qui nunc Septembri, olim Octobri congruebat, propter iam allatam rationem, prima dies feſtum tubarum & buccinę propter Iſaaci liberationem & arietis immo

Hebræorum celebritates.

lationẽ. Decima uero dies, expiationis eſt celebritas, quãdo ſcilicet deus ignouit populo Hebræo uituli idololatriã. XV. autẽ dies feſtum eſt ſcenopegiæ, id eſt, tabernaculi, per ſeptem dies. XXII. eiuſdem menſis feſtũ eſt cœtus & collectæ, in quo colligebant pecuniæ pro ſacrificijs. Item tertia die Godoliæ ieiuniũ. In VIII. menſe nullum peculiare eſt feſtum. In nono, XXV. feſtum celebrant Encæniorũ. In decimo menſe, Ieiuniũ quo Nabuchodonoſor urbem obſedit, decima menſis. In undecimo menſe nullum habetur feſtum. In duodecimo ieiunium Heſter ſortis uel urnæ, die XV. Lege hiſtoriam Heſter. Et hucuſque de Hebræis & Chaldæis & Babylonijs ſit dictũ. Nunc addam & Arabum, & Sarracenorũ menſes. Annum hi habent CCCLIIII. dierum, præter intercalarios, qui in XXX. eorum annis XI. ſunt & LV. dierum, & rurſus redeunt ad primũ ordinẽ. Habent uero mẽſes triginta dierũ ſex, & XXIX alteros ſex, qui alternis ſuccedũt. Et qui XXX. ſunt dierũ, perfecti ab eis menſes dicunt: qui XXIX. imperfecti. Incipiũt aũt annũ ab Almuharamo, hoc eſt, Septẽbri, qui eſt XXX dierũ, & perfectus. Ab eo ſecũdus eſt Saphar, qui XXIX. eſt dierũ, & imperfectus: qui anni dies ſunt LIX. Tertius eſt Rabe primus, qui XXX. dierum eſt, & perfectus, & anni ſunt dies LXXXIX. Quartus Rabe ſecundus

Arabum & Sarracenorũ annus & menſes.

XXIX.

xxix.dies habet, & imperfectus est, & anni dies perficit cxviii. Quintus mensis est Gemedi primus, qui xxx. dies habet, & perfectus est, & anni dies complet cxlviii. Sextus est Gemedi secundus, xxix. dierum est, & imperfectus, & anni dies constituit clxxvii. Septimus mensis est Rage, qui xxx. dierũ est, et perfectus, anni uero dies ccvii. cõficit. Octauus mensis est Sahaben, qui est xxix. dierum, imperfectus, & anni dies ccxxxvi. perficit. Nonus Ramadan xxx. dierum est, & perfectus, & anni dies cclxvi. exigit. Decimus mensis est Sauel, qui xxix. est dierum, imperfectus, & anni dies complet ccxcv. Vndecimus mẽsis est Dulchida, xxx. dierũ, perfectus, anni dies cccxxv. explet. Duodecimus Dulcheya mensis est, & xxix. dies habet, & imperfectus est, & totius anni numerũ conficit, hoc est, ccclIIII. Porrò nec illud ignorandum est, primam horam nascentis lunę mensis eorum initium haberi.

Postquã in hæc barbara diuertimus, cur non & Persarũ menses, & uocabula, numerumq́ dierum subiungimus? Eorum quidem annus ccc & lx. dies continet, & à Septembri sumit exordiũ. Singuli menses xxx. sunt dierũ. Primus est Phordimechus Secundus Ardaimechus. Tertius Cardaimechus. Quartus Zirmechus. Quintus Mar- *Persarum menses, uocabula, dierumq́ numerus.*

daynus. Sextus Sarembemechus. Septimus Maheramechus. Octauus Ebenmechus. Nonus Idramechus. Decimus Dimechus. Vndecimus Behmemechus. Duodecimus Azfirdamechus.

Indorum menses & annus.

Indorum uero mensium & annorum rationem hanc Q. Curtius prodidit: Menses, inquit, in quinos denos descripserunt dies. Anni plena spacia seruantur, lunæ cursu notant tempora, non ut pleriq; cum orbem sidus impleuit, sed cũ se curuare cœpit in cornua: & idcirco breuiores habent menses, qui spacium eorum ad hunc lunæ modum dirigunt. Hæc Curtius. At Bedas ita de Indis: Apud Indos, inquit, ubi est alia cœli facies, alij sunt ortus siderũ, binas æstates in anno binasq; messes habere perhibent, media inter illos hyeme Etesiarum flatu, nostra uero brumali: lenes ibi auras, & mare nauigabile narrant. Traduntur & his fermè similia hoc demum tempore à Lusitanis nautis, & qui in nouum, ut dicunt, orbem nauigant. Sanè par etiam est credere & alias nationes, alia & habuisse, & nunc habere mensium uocabula. Scribit enim Strabo lib. xij. à Pharnace rege mensem denominatũ, cui & templum cõstructũ fuit in Ponticis regionibus. Idem & Arcæi mensis sacerdotiũ cõmemorat, his uerbis: ἦν δὲ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τὶς μηνὸς ἀρκαίου. Idem & mensis Cari templum ait magna ueneratio-

neratione cultum apud Laodiceam & Caru ros populos. Scribunt in Nemeon Pindari expositores, apud Aeginetas Delphiniũ Apollinem cultum, & ab eo Delphinium mensem cognominatũ, in quo Hydrophoria ludi celebrabãtur. Ex recitatis his colligimus sacros etiam fuisse menses aliquos. Atq; hactenus de uaria mensiũ appellatione, nunc de mensium diuisione subiungam.

Mensium diuisio.

Menses, ut à nostris incipiamus, in tres partes diuiduntur, in Calendas, Nonas, & Idus: idq; lunæ ratione fieri autor est Plutarchus: nam singulis mensib. omnino tres lunæ mutationes fiũt. Prima cum penitus occultatur, soli cõgressa. Dein cum solis radios ac lumen elapsa ab occasu incipit apparere. Postremò cum solaribus radijs illustrata, plenilunium efficit. Hæc quidem & alia Plutarchus in causis. Sed alia est exquisitior lunæ diuisio, quæ etsi huic rei parum cõgruit, cognitioni tamen nõ indigna est. Est ergo quadriformis, μηνοειδῆ, διχότομος, ἀμφίκυρτος, & πανσελήνη, hoc est, cornicularis, diuidua, gibberosa, & plena, quæ à Pindaro in Olymp. διχόμηνις μήνη dicitur. Sed & ab hac mutatione Græci lunam μήνην nuncupatã uolũt, quòd in una figura nunquam permaneat, hoc est, ut illi scribũt, μὴ ἐν ἑνὶ σχήματι μένειν. Alij quod minuatur, παρὰ τὸ μειοῦσθαι, quod Socrati placet apud Platonem: nam & interdum μεὶς μα

Lunæ diuisio.

νὸς dicitur. Alij παρὰ τὸ μῆος μειῶν, & per ſynco pen μὴν menſem uocant. Quare uero σελήνη dicatur & σελαναία, in Cratylo Plato docet. Porrò plenilunium magna ſuperſtitione antiquis colebatur, unde & prouerbium ἐν τῇ πανσελήνῳ, de cunctantibus & procraſtinantibus. Scribit Plutarchus & mulieres partu facilius in plenilunio leuari. Lucianus in libello de aſtrologia, Lycurgum ait Lacedæmonijs legem tuliſſe, in plenilunio ne præliũ inirent. Sed hæc ferè præter inſtitutum, ad noſtra redeo. Primus igitur menſis dies à noſtris calendæ dicuntur, & Iunoni ſacer erat, ut Feſtus ait, & in Faſtis canit Ouidius:

Vendicat Auſonias Iunonis cura calendas.

Et ideo, ut Varro docet, Laurẽtes Iunonem appellabant calendarẽ. Plutarchus in quæſtionibus, menſem quidem Iunoni ſacrum, annũ autem Ioui, ſuis quibuſdã argumentis affirmat. Sed nõ modo à Romanis calendæ colebantur, ſed & numeniæ à Græcis & Hebræis, ut Iſidorus obſeruat. Dicuntur uero calendæ παρὰ τὸ καλῶ, quod eſt uoco, uel potius quod antiqui, ut in primo de Vitis patrum ait Varro, calendis calabãtur, id eſt, uocabantur: etſi aliter perperàm apud Noniũ legitur. Nam priſcis temporibus antequam faſti à Cn. Flauio ſcriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur, Põtifici minori hæc prouincia delegabatur, ut nouę lu

Calendæ.

næ

næ primũ obſeruaret aſpectum, uiſamq́ regi ſacrorum nunciaret: itaq; ſacrificio à rege et minore pontifice celebrato, idem Pontifex calabat, id eſt, uocabat in Capitoliũ plebem iuxta curiã Calabram, & quot numero dies à calendis ad nonas ſupereſſent, pronunciabat: & quintanas quidem dicto quinquies uerbo, Calo Iuno nouella: & ſeptimanas eaſdem, repetito ſepties eodẽ uerbo, Calo Iuno nouella, ut ait Varro: atq; ideo, quod eo die calarentur, calendę nuncupatæ, & curia ipſa Calabra locus nũcupatus ubi id fieret. Plutarchus tamen in quæſt. nõ à uerbo καλῶ calendas ait uocatas, ſed à particula latina quę eſt clàm, quod tum luna clàm eſſet, id eſt lateat: qua in re & Theodorus Gaza eſt eum ſecutus. Sanè idem Plutarchus in libello, q̊d non oporteat fœnerari: Numeniæ uel calendæ, tametſi dies ſacratiſsimi exiſtunt, nefandi tamen & execrandi ab uſurarijs redduntur &c̃. Sed quod uſuræ calendis & in noua luna perſoluerentur, & poëtæ innuunt, ut Ariſtophanes & Heſiodus, & noſter Horatius. Porrò cum Gręci calendis carerent, Auguſtus Cæſar cum mutuum nunquam reddituros ſignificare uellet, ad calendas græcas ſoluturos dicere ſolitus erat, ut tradit Suetonius, id quod & pòſt ad alia prouerbij loco uſurpatũ eſt. Atq; de calẽdis hactenus.

Nonæ nulli deo dicatæ ſacræ'ue fuere, ita *Nonæ.*

in Faſtis canente poëta: Nonarũ tutela deo caret. Dictæ uero Nonę, quod νέα eſſet luna, hoc eſt, noua. Sed enim noſtri Nonas dictas uolunt quaſi nouæ initium obſeruationis, quod ſcilicet poſt uiſam nouam lunam Nonæ ipſæ pronunciarentur. Et ideo quidem minor pontifex dierum numerũ qui ad Nonas ſupereſſent calando prodebat, q̊d poſt nouam lunam oportebat Nonarum die populares qui in agris eſſent ad urbem cõfluere, accepturos feriarum cauſas à rege ſacrorum, ut quid eo menſe faciendũ eſſet ſcirent. Alij, ut Varro ſcribit, Nonas dictas arbitrantur, quod à Nonis nouẽ dies eſſent ad Idus. Sed Tuſcos tamen legimus Nonas plures habuiſſe: nono etenim quoq; die Tuſci regem ſuum ſalutabant, & de proprijs negocijs cõſulebant. Et de Nonis hactenus.

Idus. Iduum porrò nomẽ ab iiſdem Tuſcis acceptum quoq; legimus. Itis enim, ut Macrobius: ut Varro, Itus illi dicebant. Itum uero Iouis fiduciam interpretabantur: quam opinionem parũ receptam uideo. Alij à uidendo deriuant, quod eo die plenior luna uideri ſoleat, ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν, quod uidere ſignificat: uel ἀπὸ τοῦ ἴδους, quod plenam ſpeciem luna demonſtret: quam ſententiam Plutarchus ſequitur. Sunt etiã qui exiſtiment Idus ab oue Iduli uocitatas, quæ omnibus Idibus apud Hetruſcos à flamine immolabãt. Iſtius certè

Idulis & Festus et Macrobius meminere: ipsi tamen Macrobio magis placet, quod idus ab iduando uerbo deducantur. Est autem Iduare apud Hetruscos idem quod diuidere: is enim dies mensem diuidere uidetur: unde & uidua mulier dicitur, quasi à uiro diuisa. Idus quidem omnes Ioui dicatæ fuere, ut calendæ Iunoni, ut diximus. Hinc poëta in Fastis:

Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Quot uero dies, quot Nonas & Idus quilibet mẽsis habeat, etsi planius pòst dicemus, hoc loco tamen inconditos hos uersus pro canone adscribam:

Ter denos September habet, totidemq; November,
Iulius, Aprilis: reliquis superadditur unus.
Sit nisi bissextus, uicenos Februus octo.
Prima dies mensis cuiusq; est dicta calendæ.
Sex Maius nonas, October, Iulius & Mars:
Quatuor at reliqui. tenet Idus quilibet octo.
Inde dies alios omneis dic esse calendas,
Quas retro numerans dices à mense sequenti.

Atque hęc quidem de Latinorum mensium diuisione: nunc & Græcorum addamus.

Græci utique alio modo suos menses diuidunt: quãquam enim & ipsi in tres partes distribuant, non nostro tamen more. Nam cum lunã sequant̃, mẽsem in tres decades diducunt, & primã quidem appellant mensem consistentem: secundam uero, ad decem,

uel medium: tertiam, deficientem uel terminantem. Sic enim illi, μηνὸς ἱσταμένου, & ἐπὶ δέκα, uel μεσοῦντος, tum demum φθίνοντος uel λήγοντος μηνός. Has quidem tres mensis partes Philochorus & Proclus Mineruæ sacratas fuisse prodiderunt. Prima mensis dies dicitur his nominibus, νουμηνία, uel νεομηνία, uel ἱερομηνία, à nostris nouiluniũ et calendæ. Secunda uero dies usque ad decimã, à numero nuncupatur, ἱσταμένου addito, ut, δευτέρα ἱσταμένου. Decima autem δεκάτη dicitur. Vndecima quidem dies πρώτη ἐπὶ δέκα, uel πρώτη μεσοῦντος μηνὸς, usque ad XIX. diem addito numero dicitur: ipsa uero decimanona ἐννάτη ἐπὶ δέκα, uel ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ dicta est. Tum sequitur tertia decas, id est, uigesima dies, quæ εἰκοστὴ dicitur uel εἰκάς. post quam sequitur XXI. dies, quæ πρώτη ἐπὶ εἰκάδι uel δεκάτη φθίνοντος. Qui modus numerandi in Solonem philosophum refertur à quibusdam, qui ut luna sensim minuitur, ita et numerũ desinentis mensis minuebat. Vnde et Macrobius cum de antiquorum Latinorum numerandi consuetudine ageret: Latij, inquit, ueteres incolę, quia nihil iam tum discere ab Aegyptijs licebat, ad quos nullus illis cõmeatus patebat, morẽ Grçciæ in mensium numerandis diebus secuti sunt, ut retrouersum cedente numero, ab augmento in diminutionem computatio resoluta desineret: ita enim nos decimũ diem, deinde nonum

num,et poſtea octauũ dicimus,ut Athenienſes δεκάτην καὶ ἐννάτην φθίνοντος μηνὸς ſoliti ſunt dicere. et reliqua, id quod uidemus obſeruari ab Ariſtophane in Nubib. Et ut propoſitũ nõ deſeram, numerant Græci utroq; modo, ut dicebamus, uſq; ad XXIX. diem menſis, quæ ἐννάτη ἐπὶ εἰκάδι, uel δευτέρα φθίνοντος dicitur. Porrò trigeſimus dies τριακὰς, uel ἕνη καὶ νέα ab Atticis uocatur, hoc eſt, uetus & noua, ſcilicet luna. Verũ ab hoc numerãdi modo nõnihil euariat Pollux. In hac autem ἕνη καὶ νέα exactiones debitorũ et uſurarum fieri ſolebant, ut antè docuimus. Nec illud prætereundũ, hac eadem die, ἕνη uidelicet καὶ νέα, antiquitus XXX. prętereuntis menſis diem & ſequentis primam uocitatã fuiſſe, hoc eſt, tempus illud quo deliteſcit luna, quod Latini tum ſilentem lunam, tum intermeſtrem, tum interluniũ, uel intermenſem, uel intermenſtruum & coitum lunæ dixere. Græci aſtrologi σύνοδον uocant, ut Ptolemæus, alij. Varro: Intermenſis quidem dictus, quod putabant inter prioris menſis ſeneſcentis diem & nouam lunam eſſe diem, quem diligentius Attici ἕνην καὶ νέαν appellarũt, ab eo quod ea die poteſt uideri extrema & prima luna. Gaza: Cum, inquit, hoc tempore exoleuerit ut ad lunæ rationem menſes dirigantur, nihil nos prohibet dicere ultimã menſis diem ἕνην, cum primam νέαν & nouilunium dica-

mus. Plethon philoſophus patrum memo-
ria celebratus ἕνην XXIX. menſis, ἕνην uero καὶ
νέαν XXX. putauit, id quod non eſſe diſſo-
num ſuo inſtituto ait Gaza: qui & illud ſcri
bit, Atheniẽſes in lunæ ratione parũ recte in
numeris cõuenire. Vnde & poëta Comicus
ipſam lunã ideo Athenienſib. iraſci in fabula
inducit, q͛d ad ſuum ipſius curſum nõ rectè
dies metirent̃, & ſuſq; deq; cõfunderent. Scri
bit ad hæc Polemon, quod hanc ipſam diem
Græci aliquando uocauere Demetriada, ob
memoriam ſcilicet Demetrij regis. Meminit
& Harpocration. Vlpianus rhetor in quadã
Demoſthenis oratione ait Athenienſes ſoli-
tos numerare uſq; ad XII. menſis diem, hoc
eſt, ἐνδεκάτην καὶ δωδεκάτην. prætereaq́; XIII.
τρίτην ἐπὶ δέκα, & deinceps minorem numerũ
præponentes maiori ad XX. uſq;: q͛d tamen
nõ uſqueadeo ſeruatũ uidemus: ipſamq́; XX
ut dictum eſt, uocari εἰκάδα, poſt quam πρώτη
εἰκάδος, & cætera, ut ante propoſitũ eſt, uſq;
ad XXX. diem. Sanè animaduertendum a-
pud poëtas, & inprimis Heſiodum, non pla
nè obſeruatas has numerandi figuras: quip-
pe quod in media ſecunda decate ita ſit ſoli-
tus numerare Heſiodus, τετράδα μέσην & ἕ-
κτην μέσην, hoc eſt, mediam quartam & ſextã
mediã, pro eo quod eſt, decimaquarta luna
& ſextadecima: id quod etiã Pollux, & in ip-
ſum poëtam uulgata cõmentaria obſeruãt.
Protu-

Protulit et idem poëta alia nõnulla licentia poëtica, quæ hoc tempore parũ usitata sunt nisi penes poëtas. Idem et aliquãdo facit Homerus, sed parcius: id enim illi nõ ex professo, ut Hesiodo, accidit. Pollux & Plethon & aliam mensis diuisionẽ attulere: in quatuor enim partes ita discernũt, ὡς τὸ μὲν ἱσταμένου, τὸ δὲ μεσοῦν, τὸ δὲ φθίνοντα, καὶ τὸ δὲ ἀπιὸν ἢ ἐπιόν, hoc est, instans, medium, præceps & recedens. Sanè ut ad nostram normã menses reducerent Græci, ita statuerunt, ut Possideon, Gamelion, Munychion, Scirophorion, Metagetnion, Boëdromion, & Pyanepsion undecim dies haberent deficientes, hoc est, φθίνοντας, quia unum & xxx. dies habent ad nostram consuetudinem, & propterea græcè à Gaza ἑνδεκάφθινοι uocantur. Reliqui uero decem tantũ φθίνοντας habẽt, quia xxx. diebus numerantur, & ideo δεκάφθινοι ab eodẽ Gaza dicunt: prêter Elapheboliona, qui octo duntaxat φθίνοντας habet, & quarto quoque anno, hoc est, Embolimo & intercalari, nouẽ: atque ideo ὀκτάφθινος & ἐννεάφθινος dictus est, ut apud nos Februarius. Porrò & Aegyptios eodem modo quo Grçci, menses numerasse obseruauimus, id quod cũ ex alijs, tum maxime ex Plutar. uidemus, apud quẽ tum in Vitis, tũ in lib. Isidis & Osiridis legimus, ἐνακάδι τοῦ ἐπιφὶ μηνός. & in eodẽ, τῇ δὲ ὀγδόῃ φθίνοντος τοῦ φαωφί. Nõ me prçterit hoc tẽpore aliũ ordinẽ habere, sicuti

& in Armenia maiore: nam ut Indus Iosephus scribit, Armenij annum in XII. menses ut nos, diuidunt, similemq́; intercalarem habent diem: sed diẽ ipsum in horas suas LX. partiuntur, easq́; ad solis aspectum interdiu cognoscunt, noctu uero intuitu siderum, & stellarum. Sed quid cum nubilum est? an eo tempore sunt sine horarum cognitione? Et quidem hæc de uaria mensium obseruatione sufficiant.

Nec à præsenti negocio fortè alienũ fuerit, si de Epacta hoc loco aliquid adscripsero, quã Fortunatianus Consultus & Isidorus adiectionem uocant. ἐπάκτη quidem græcum est uocabulũ, quo & nostri iam ut suo utũtur. ἐπάγειν enim inducere est: nam lunari superexcedens solaris cursus numerus, id est, undecim, inducitur & superagitur, ut soli luna conueniat. Epactas ait Isidorus per undenarium numerum usq; ad tricenarium in se reuolui, quas ideo Aegyptij adiecere, ut lunaris emensio rationi solis æquetur. Luna enim iuxta cursum suũ XXIX. semis dies lucere dinoscitur, & fiũt in annum lunarem dies CCCLIIII. remanẽt ad cursum anni solaris dies XI. quas Aegyptij adijciunt: unde & Epactæ, & adiectiones uocantur. Absq; his non inuenies lunam quota sit in quolibet anno & mense & die. Continentur autẽ circulo decemnouenali: sed cum ad XXIX. epactas

Epacta.


Epactas peruenerunt, qui est circulus decemnouenalis, iam sequenti anno nõ addes super XXIX undecim, ut decem annumeres detractis XXX, sed inde reuerteris, ut undecim pronuncies. Hactenus fermè Isidorus. Sedenim ut facilior huiusce Epactę ratio tibi sit, & quo pacto inuenias ac utare, sic est agendum. Anni à Christi die natali per numerum XIX. diuidantur, nam totidem annis suum conficit luna circuitum: quibus sic diuisis, unitas addenda est, quoniam eo quo Christus natus est tempore, luna unum sui circuli annum iam peregerat, ut Mathematici docent. Ergo cum præsens annus, quo nos hęc scribimus, millesimus sit D.XXXIX ab ipso Christo nato, sic, ut diximus, si sit diuisus, nullo superabundabit: ideoq́ XI. erũt Epactę. At uero quoties numerus superat, is per undenarium dispertiatur: quo comperto, & per tricenarium diuiso, quotquot super extabunt, Epactæ numerum cõstituent. Cum uero XXIX, contigerit, quo modo anno superiore, quoniam is numerus, id est, XXIX. parum abest à XXX. pro integro mense reputatur, nulla Epacta ideo in eo esse dicitur, quandò etiam ad primum annũ lunæ cursus reditum est, in quo nulla Epacta est, & prima Martij nouilunium est. Cum igitur Epactæ numerum habueris, ipsum cape, illiq́ addas mensis numerum, id est, quotus

Epactæ inueniendæ ratio.

K

is sit à Martio: tum etiam addendus eius men
sis dies, cuius uis nosse lunam. Quod si inde
confectus numerus nõ XXX excesserit, hic
quantuscunq; sit, erit dierũ Lunæ numerus,
à noua scilicet Luna. Quam rationem ut pla
niorẽ faciã, huius instãtis anni exẽplo osten-
dam, cuius Epacta XI. Si ergo quæris quotã
hodie habeamus lunam, qui dies est Idus O-
ctobr. id est, XV dies mensis, assume XI Epa-
ctæ numerum, dein adde numerũ quotus sit
Octob. à Martio, qui octauus est, ipsum cum
XI cõiunge, fient XIX, superadde mẽsis dies,
quindecim uidelicet, quæ summa conficiet
XXXIIII, quatuor supra XXX uides: ergo
quatuor dies Lunæ habemus hoc ipso die
XV Octobris. Age hoc idem monstremus al
tero exemplo. Si quota Luna futura sit XXX
eiusdẽ Octobr. die, hoc est, tertio KL. Nouẽ-
bris, nosse uelis, Epactæ numerũ XI, quẽ di-
ximus, concipe, tum mensis numerũ, quotus
sit à Martio, adde, hoc est, VIII, qui numerus
cũ Epacta XIX cõficit: addito insuper XXX
numerũ dierũ mensiũ, qui XLIX cõplet, se-
moue XXX, tum reliquus numerus, hoc est,
XIX, erit Lunæ dies. Sed ne te fortassis, ut fit
interdum, Epactæ numerus effugiat, hic tibi
cycli figuram effinxi, qua quotannis, quota
futura sit Epacta edoceberis. Huius igit an-
ni quo hęc ipsa cõmentamur M,D,XXXIX.
Epactæ numerus est XI,

His



His ita de mensibus, curiosius fortasse expositis, reliquum est, ut de die, eiusq; differentijs ac partibus agamus. Dies quidem dictus est à Deis, à quibus nõ Romani modò, sed & aliæ gentes nominauerunt, planetis sideribusq; dicauerunt. Vel dies dictus à *διὸς*, quod diei Iupiter rector existimatus est: *διὸς* inquã, cuius rectus in numero pluriũ est *δίες*,

ut ostendit in primis Plutarchus ita scribēs: καὶ οὐ πολλοὶ Δίες καὶ Ζῆνες ἔσονται. Sunt ex nostris qui dicant, quod Dei dies opus sit. Certè M. Varro, Ex Deo, inquit, dies. Et alio loco: A Deo dies appellat. Alij à dio deflectũt, dium uero sub cœlo lumen uocãt, ut cum sub dio dicimus, quod sub diuo dici rectius docti quidã affirmãt. Festus diem inquit dici q̊d diuini sit operis, siue q̊d aër diurnus dehiscat in cãdorẽ. Diẽ Græci ἡμέραν uocant, q̊d ut ait Plato, ἱμάρουσι, id est, hominib. desiderantib. gratulantibusq; è tenebris lumẽ emicuit. Et propterea antiqui, ut idem scribit, prius ἱμέραν dixerunt, posteriores ἑμέραν, & demum ἡμέραν, alij tamen quasi ἡμερὰν, hoc est, mitem & mansuetam, dictam putauere. Dies autẽ, ut mensis & annus, partim naturalis est, partim ciuilis. Naturalis dies est tempus ab exoriente sole ad solis occasum. Atq; ideo, ut puto, diem, hoc est ἡμέραν, Pindarus in Olymp. Solis filium appellat. Nox uero ab occasu solis est ad ortum, appellata quidem quod noceat, uel quod græcè νύξ dicitur. Ciuilis dies, quem legitimum Isidorus uocat, tempus id est quod uno fit cœli circumactu, quo dies uerus & nox continetur, ut cum dicimus aliquem dies XXX. tantum uixisse, tunc enim etiam noctes intelligimus. Græci uoce composita νυχθήμερον uocant, & sic à M. Psello in astronomicis definitur: Νυχθήμερον δ' ἐστὶν ἡ μία

Dies naturalis.

Ciuilis.

πάλιν

πάλιν καὶ αὐτὴ τοῦ μεγάλου κύκλου φορά. Nycthemeron, inquit, est una rursus & ipsa magni circuli latio, seu transitus. Huiuscemodi uero dies quatuor modis definiuntur. Alij à solis exortu ad exortum eiusdem astri statuerũt, ut Babylonij, & uulgus omne. Alij à meridie ad meridiem, ut Vmbri, & qui Astrologiam profitentur. Alij ab occasu ad occasum solis ipsius, ut Athenienses, & nunc Arabes. Alij à media nocte ad mediam noctem diem existimarunt, ut Romani sacerdotes, item Aegyptij, & Hipparchus, ut scribit Plinius. Apud Romanos quidem, ut ait Censorinus, indicio sunt sacra publica, & auspicia magistratuum, quorum si quid ante medium noctis actum esset, diei qui præterierat adscribebatur. Si quid autem post mediam noctem & ante lucem factum fuisset, eo die gestum dicebatur qui eam sequeretur noctem. In his horis quatuor & uiginti qui nascuntur, eundem diem habent naturalem: qua de re ex Varronis lib. humanarum, quẽ de diebus scripsit, multa quidem Gellius & Macrobius: sed plura Plutarchus in quæst. capitum Romanorũ, dum causam inquirit: ita enim post allatas rationes cõclusit: Quare, inquit, cum ob dictas causas ortus diei & occasus principium difficilimè capi posit, relinquit ut medium diem, aut mediam noctem (quas partes μεσουρανεῖν, & ἀντιμεσουρανεῖν uocat) diei

principium ſtatuamus: potius autẽ ſecundũ, hoc eſt, medium noctis. Fertur enim à nobis à meridie ad occaſum: à media uero nocte ad orientem ad nos redit. & hunc ipſum, inquit Gellius, Romani ciuilem appellarunt, qui à ſexta noctis hora oritur. Noſtri quoque quidam Chriſtiani, inter quos Iſidorus & Bedas, in eo qui eſt de nat. rerum, hanc principij diei rationem ita perſcribunt: Hebræi autẽ & Chaldæi & Perſę diem à mane ad mane deducunt, umbrarũ uidelicet tempus luci ſupponentes: at contrà Aegyptij ab occaſu ad occaſum. Vmbri & Athenienſes à meridie ad meridiem dies computabant. Hæc Bedas. Porrò hoc tẽpore Galli Germaniq́ue, eosq́ue ſequentes nationes, à meridie ad mediam noctem, & à media nocte ad meridiem dies diſtinguunt, hoc eſt, XII horis, & alteris XII horis ęquinoctialibus. Sanè ante repertas horas apud Romanos, dierũ diuiſionem uarijs modis factã eſſe legimus, quos breuiter ſubſignabimus. Scribit Cenſorinus nuſquã XII. tabulis horas nominatas ut in alijs poſtea legibus, ſed ante meridiẽ & poſt meridiẽ, quod uidelicet bifariã diem meridies diſcernebat. Alij diem quadripartitũ cenſebant, & noctẽ ſimiliter, quam rem militaris ſimilitudo teſtatur, in qua dicit, prima uigilia, item ſecunda, & tertia, & quarta, quo modo & à Græcis πρώτη φυλακὴ, δευτέρα φυλακὴ, καὶ τρίτη, καὶ τετάρτη. uel ut

Noctis diuiſio.

uel ut Homerus ait, πρώτη μοῖρα, & πρῶτος ὕπνος. Sũt & alia & diei & noctis tẽpora, proprijsq; discreta nominibus, quæ apud ueteres tum poëtas, tum historicos, aliosq; scriptores inuenimus: ea ut rectius potero ordine suo exponã. Incipiã uero, ut Romani, à nocte media, quod tempus principiũ & postremũ diei fuerat, Græci μεσονύκτιον uocãt, & Homer. ἀμολγὸν, ut notãt grãmatici in iij. odyss. etsi alij aliter. Tempus uero q̊d huic proximũ fuerat, de media nocte uocabat̃, uel ut ait Macrob. mediæ noctis inclinatio. Hoc sequebat̃ gallicinium, cum galli canere incipiunt: hoc à Græcis ἀλεκτρυοφωνία uocat̃, uel ut scribit Pollux, περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδὰς, uel ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων. Tũ pòst erat ὑπὸ τὸν ᾠδὸν ὄρνιθα, & q̊d nostri conticiniũ dixerũt, cum uel galli, uel, ut alij tradunt, omnes mortales silent. Plautus in Asin. Redito conticinio. Ingeniosus poëta Ouid. 7. Metamorph. partem hanc noctis muta silentia uocat, de Medea agens his uersibus: *Gallicinium.* *Conticinium.*

Egreditur tectis uestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudis humeris, infusa capillos,
Fertq; uagos mediæ per multa silentia noctis
Incomitata gradus.

Tum est ante lucem, & sic diluculum uocatur, id est, ut inquit Macrobius, cum incipit dignosci dies: hoc tempus id esse uidetur, quod Græci dicũt ὑπὸ τὸ λυκαυγὲς, & Homerus ἀμφιλύκην νύκτα. Mane dicit̃ cum lux uidetur, *Diluculum.* *Mane.*

dictum, ut Varro ait, quod tum manat dies ab oriente: nisi potius, quòd bonum antiqui dicebãt manum. Ad cuiusmodi religionem Græci quoque cum lumen affertur solent dicere φῶς ἀγαθὸν, qui mos & apud nos ad hanc diem perseuerat. Macrobius mane ait dictũ, quod ab inferioribus locis, id est, à manibus exordium lucis emergat: uel quod Lanuuini in Latio mane pro bono dicebant. Hanc partem Græci communiter ὄρθρος & περιόρθρον dicunt, & πρωὶ & ἕως. Sole postea exorto, ad meridiem dicebãt, hoc est, ad mediũ diem. Tum meridies, quæ ipsa est medij diei pars, ad quã partem nostro tempore æra turrium sonant. Sunt qui meridiem dictum putent quod merus sit dies, id est, purus: nam meridies purior est diei pars, quia sol in medio cœlo rutilar, & omnem orbem pari illustrat claritate: hanc partem Græci μεσούσης ἡμέρας, καὶ περὶ μεσημβρίαν dicunt, & ἡλίου ὑπὲρ κεφαλῆς ἱσταμένου, hoc est, sole supra caput cõsistente. Post hæc de meridie dicebatur, ut Censorinus ait. Macrobius tamen, inde, ait, uocatur tempus occiduum: & quod Græci δειλινὸν καιρὸν uocãt. Dehinc est suprema dies, quæ & serum diei dicitur: quamuis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia in XII. tabulis scriptũ sit, Solis occasus suprema tempestas esto. De hac eadem sic Macrobius scribit: Suprema tempestas, hoc est, diei nouissimum

Ad meridiem. *Meridies.* *Suprema dies.*

mum

mum tempus, ſicut expreſſum eſt in XII. tabulis. Sed poſtea, ut ait Cenſorinus, M. Plethorius Trib. Pleb. ſcitum tulit, in quo ſcriptum fuit: Prætor urbanus qui nũc eſt, quique poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto, isq́ꝫ ſupremam ad ſolis occaſum ius inter ciues dicito. Meminit & hac de re Varro: Suprema, inquit, ſummum diei, id eſt, à ſupremo: hoc tempus XII. tab. dicunt occaſum eſſe ſolis. Sed poſtea lex prætoria id quoqꝫ tẽpus iubet eſſe ſupremum, quo prætor in comitio ſupremam renunciat populo. Dicitur & prima ueſpera, cuius Plaut. in Gurgul. meminit. Poſt uero ſupremam dicitur ueſper, ante ortum ſcilicet eius ſtellæ, quam Plautus ueſperuginem, Ennius, Vergilius & Catullus ueſperum appellant, quia Græci ἕσπερον. quæ ſtella ante ſolem Iubar uocatur, teſte Varrone, quod ſit iubata. Pacuuius: Paſtor exorto iubare, Noctis decurſo itinere. Vergilius: Tum iubare exorto. Eadem à Græcis φώσφορος. Inde porrò crepuſculum eſt, ut ait Cenſorinus, ſic fortaſſe appellatũ, quod res incertæ creperæ dicuntur, idq́ꝫ tempus noctis ſit an diei incertum eſt. Id uocabulum ſumptum ait à Sabinis Varro: Vnde, inquit, ueniunt Crepuſci nominati Amiterno, qui eo tempore erant nati, hoc eſt, crepuſculo, ut Lucij prima luce. Ab hoc tempore prima fax dicitur, ut Macrob. docet, quod lumina

Prima ueſpera.

Crepuſculum.

Prima fax.

accendebantur. Hanc diei partem Liuius primas tenebras uocat, ut cum ait: Hannibal ob uersatus eo die in foro auertēdæ suspicionis causa, primis tenebris, uestitu forensi, ad portam cum duob. comitib. ignaris consilij est egressus. Sed quoniā in mentionē de accensis luminib. incidimus, nonnihil ea de re, ex obseruatis nostris afferre uisum est, quandò eius rei frequēs est mentio apud autores. Videtur autē id sumptū à tabernarijs, qui circū plateas, iam uesperascente, lumina in tabernis accendunt. D. Hieronymus contra Luciferianos: Dum audientiā, inquit, & circulū, lumina iam in plateis accensa soluerent. Dionysius item Halicarn. lib. 7. & 11. accensionum luminū meminit. Item Herodotus cum alibi tum in Polymnia, hoc est, lib. 7. & cum his Censorinus. Horat. uero Flaccus epist. lib. 2. prima lumina hanc diei partem appellauit, hoc ad Florum uersu:

Lento Samnites ad lumina prima duello.

De quo Samnitum prælio & sic Ennius:

E queis de manibus nox intempesta diremit.

Fuit & apud Aegyptios celebritas, quę lucernarū accēsio dicebat, cui⁹ ab Herodoto lib. 2 fit mētio, his propè uerbis: Vbi uero ad Saim urbē ad rem sacrā faciendā cōuenerūt, noctu sub diuo uniuersi circū mœnia frequētes lucernas accēdūt, imbutas sale, & oleo plenas, cum multo ellychnio, q̄d tota ardeat nocte:

cui

cui festo nomẽ impositũ est accensio lucerna rũ. Ad hunc cõuentũ quicũq; Aegyptiorũ nõ iuerint obseruãtes sacrificij noctẽ, & ipsi lucernas accẽdunt, neq; id in Sai modo, sed etiã per uniuersam Aegyptũ. Sed & apud Hebr. fuit lucernarũ festum. Vnde Persius Flaccus:

Herodis uenere dies, unctaq; fenestra
Dispositæ pinguem nebulam uomuere lucernæ.

Quo loco Probus seu Cornut9, seu quisquis ille fuit qui Persium est interpretatus: Obseruãt, inquit, Iudęi & sabbatũ, quo die lucernas accensas & uiolis coronatas in fenestris ponũt. Christiani quoq; in plerisq; locis hoc moris habẽt in quibusdã celebritatib. ut uesperi lucernas in fenestris & eminẽtiorib. ędiũ partib. collocẽt. Id Romę frequẽtissimũ. Aliã pręterea gentiliũ celebritatẽ lucernarũ designat Anne9 Seneca in lib. de beata uita: Cũ laurũ, ait, linteatus senex & medio lucernarum die proferẽs cõclamat iratũ aliquẽ deorũ, cõcurritis. Eadẽ de re meminit Septimius Tertull. Cur die lęto, inquit, nec laureis postes obumbramus, nec lucernis diẽ infringimus? Idem alibi: Quis, inquit, philosophum sacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie uanas proferre cõpellit? de Christianis agẽs in Apolog. qui ad hæc cõpellebant. Sed & Apuleius lucernã in sacris Isidis describit, hoc modo: Sacerdotũ primus, inquit, lucernã claro præmicãtẽ porrigebat lumine, nõ adeò nostris illis

consimilem, quæ uespertinas illuminant epulas, sed aureum cymbium in medio sui pa tore flamulam suscitans largiorem. & reliqua, ne longius uager. Fuit & antiquis lampadarum celebritas, quæ Athenis præcipue agitabatur in Ceramico, qua currentes inuicem lampada tradebant. qua de re Grammatici plura. Quidam à Prometheo rem initiũ sumpsisse tradunt: hinc & Prouerbiũ factũ, Lampada tradere. Vide prouerbiorum scriptorem. Nunc in uiam rediens reliquas diei partes affero. Sequitur quam primam facem

Concubium. diximus, quod concubium appellatur, cum itum est cubitum. Ennius in annalium vij. cõcubiam noctem uocauit, ut docet Seruius apud Macrobium:

Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti
Mœnia concubia, uigiliq; repentè cruentant.

Intempesta nox. Sic & Cicero & alij. Exinde est intempesta, id est, multa nox, quia nihil agi est tempestiuum. Aelius: Intempestũ est, inquit, cum tem pus agendi est nullum, quod alij concubium appellarunt, quod ferè omnes tunc cubarẽt. Alij ab eo quod sileretur, silentium noctis di

Media nox. xerunt. Dehinc ad mediam noctem dicitur, & sic media nox. Atq; hactenus de diei & noctis partibus, quas & Iulius Pollux in primo græcè descripsit.

Nunc est à nobis afferenda longitudinis & breuitatis dierum causa, undéue solstitiales &

les & brumales dies, unde & æquinoctiales: quæ licet ijs qui in astronomicis periti sunt notissima uideantur, breuiter tamen minus in ijs uersatis, & ne quid pręsenti lucubrationi deesse uideatur, hic colligenda duximus. Sunt igitur dies uel naturales uel artificiales: & naturales quidem omnes ubiq; gentium xxiiii. horarum, quos hic in præsentia nõ quærimus, an id xxiiii. horarum spacium aliquando excedant, ut philosophi quidam & astrologi subtilius faciunt. Artificiales uero, quos & ciuiles & uulgares quidam nominant, longiores uel breuiores fiunt ex recto uel obliquo ortu uel occasu: rectè enim quàm obliquè oriens signum diutius ascendendo morari naturali ratione dicitur. Signum autem rectè oriri aiunt, quo cum maior pars æquinoctialis circuli, qui æquator ab Astrologis uocatur, oritur: obliquè uerò seu pronè oriri, quo cum minor pars eiusdẽ circuli oritur. Ergo singulis artificialib. diebus his seu longis seu breuibus sex signa oriuntur, & noctu totidem, quæ dierũ & noctium moram uel longiorem uel breuiorem faciunt. Atq; ut à solstitio exordiamur, sole in Cancro existente mense Iunio, dies hac ratione longissimos fieri est manifestũ, quod interdiu sex rectè signa orianť, quæ sunt ista: Cancer, in quo est Sol, & Leo, & Virgo, & Libra, & Scorpius, & Sagittarius: quæ signa

cum plurimum temporis in ortu consument diem extendunt, longumq́ꝫ efficiunt. Nox uero eodem tempore minima est, quoniã sex reliqua signa obliquis ascensibus oriuntur: ea quidẽ sunt, Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, & Gemini. At uero è cõtrario causa est ut dies brumales breuissimi sint, q̊d sole in Capricorno, mense uidelicet Decembri, sex itidem ipso die signa oriũtur obliquè à Capricorno usqꝫ ad Geminos: & nox eodem tempore longissima, quod reliqua sex signa ab initio Cãcri rectum habent ortum. Aequinoctialiũ autem dierũ causa est, quod tunc tria signa oriantur obliquè, & tria ęquè rectè, in die quippe & noctu similiter. Exempli gratia: In uerno æquinoctio sole in Ariete posito, interdiu Aries, Taurus & Gemini obliquè, Cancer uero, Leo & Virgo recto nascuntur ortu: pariq́ꝫ modo in nocte Libra, Scorpius & Sagittarius rectè, reliqua tria obliquè oriuntur, Capricornus scilicet, Aquarius, Pisces. In Autumni autẽ æquinoctio sole Libram tenente, ipsa Libra, & Scorpius, & Sagittarius rectè nascunt̃, sequentia tria obliquè. At in nocte Aries, Taurus, & Gemini obliquè habent ascensum, & cætera tria rectũ. Atqꝫ hęc breuissimè de dierum ac noctiũ longitudine breuitateq́ꝫ ex astrologorum monumentis excerpta. Quibus sic à me descriptis, facilius, ut opinor, Plinij uerba intelligentur,

gentur, quæ sunt in eius lib. 2. nat. hist. Sol autem ipse, inquit, quatuor differentias habet, bis æquata nocte diei, Vere & Autumno in centrum incidens terræ octauis in partibus Arietis ac Libræ, bis permutatis spacijs, in auctum diei, bruma octaua in parte Capricorni: noctis uero, solstitio totidem in partibus Cancri. Inæqualitatis causa obliquitas est signiferi, cum pars æqua mūdi super subterq; terras omnib. fiat momētis. Sed quæ recta in exortu suo consurgūt signa, longiore tractu tenent lucē: quę uero obliqua, ocyore transeunt spacio. Hæc Plinius. Ex hac quoq; dierum ratione horas pro rata portione uel longiores uel breuiores esse colligimus: qua de re, cum de horis agemus, statuemus. Porrò & in cœli inclinationibus, quæ græcè κλίματα dicuntur, & à Pontano cliui, & in terrarū curuitate plus minúsue longi sunt dies noctésue, id quod segmentorū & circulorū (sic enī uocat Plinius parallelos) ratio ostendit: ex ijs enim umbrarum mensura colligitur, neque est eadem ubiq;: nam XL circiter, uel ut longissimè LX mil. pass. hæ mutantur, id quod Solis umbilicus, qui gnomon dicitur, palàm facit: tametsi neque id perpetuum est signum, ut Plinius monet, & ante eum M. Varro. In primo ergo circulo æquinoctij die media umbilicus VII pedes longus, umbram nō amplius IIII pedes longam reddit:

noctis uero dieiq́ longiſsima ſpacia horas XIIII. habent, breuiſsima è contrario X horas. in his ſemper ęquinoctiales intelligimus In ſecundo circulo umbilicus in ęquinoctio XXXV. pedum, umbram XXIIII. pedũ longam facit. Dies autem noxq́ maxima XIIII. horarũ eſt, accedente ijs quinta parte unius horæ. In tertio gnomonis centũ unciæ umbram LXXVII. unciarũ faciũt: longiſsimus dies eſt horarũ XIIII. atq́ dimidiæ, cũ XXX. parte unius horæ. In quarto circulo gnomoni XXI. pedum, reſpõdent umbræ XVII. pedum: longiſsimus dies habet horas XIIII. & duas tertias unius horæ. In quinto ſegmento gnomoni ſeptem pedes umbris ſex, magnitudo diei ſumma horarũ XV. In ſexto, gnomoni pedes nouem, umbrę VIII. longiſsima diei ſpacia horarum XV. addita nona parte unius horæ, uel ut Nigidio ac Plinio placuit quinta. In ſeptimo umbilico, id eſt, gnomoni XXXV. pedum, umbræ XXXVI. ita ut tamen in partem Venetiæ exęquet umbra gnomoni: ampliſsima dies horarũ XV. & quinta rum partium horarum trium. Idem ferè breuius collegit in lib. 2. nat. hiſt. Plin. Vmbra, inquit, in Aegypto, meridiano tempore, æquinoctij die, paulò plus quàm dimidium gnomonis menſuram efficit. In urbe uero Roma nona pars gnomonis deeſt umbræ. In Piceno, in oppido Ancona, ſupereſt quinta trige-

trigesimæ. In Venetia regione iisdem horis umbra gnomoni par fit. Vtrinque uarietas hæc ex cœli declinatione: qua ex causa apud Hyperboreos, dies semestri luce esse, autores tradunt, parique tempore noctes: quippe quibus semel in anno solstitio soles oriantur, & bruma occidãt. Idem fermè tradit Pythias Massiliensis in Thule & circumadiacentibus insulis. C. Cæsar lib. bell. Gall. v. cum in Britanniam cum exercitu traiecisset, ita scribit: In hoc medio cursu est insula quæ appellatur Mona, cõplures præterea minores subiectæ insulæ existimantur, de quibus insulis nonnulli scripserunt dies continuos xxx. sub bruma esse noctes: nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris breuiores esse quàm in continente noctes. In Italia certè longissimus dies xv. horarum esse, æquinoctialium ratio & experientia docet. In Alexandria xiiii. horarum. In Meroë Aegyptia xii. horarũ, & octauæ partis unius horæ. In Britannia xvii. ubi æstate lucidæ noctes. Hipparchus tamen Pythiæ Massiliensi fidem habens, in his Britãniæ locis longissimũ diem ait esse horarũ æquinoctialium xix. Hipparchum quidem Strabo reprehendit, & cum Hipparcho Pythiam & Eratosthenem, ut parum cõsona scribentes, quæ omnia referre ad institutum nõ faciunt. Alii nõ decem & nouem horarum diem, sed

XVIII. tradunt, id quod Cleomedes prodit, cuius & de Thule uerba subiungemus: In Thule, inquit, insula, in qua Pythiam Massiliensem philosophum fuisse accepimus, fama est totum solstitialem circulum esse supra terram, eundemq; illis arcticum fieri: apud illos cum sol obtinet Cancrum, menstruus, uel ut alij legunt, bimestris fit dies, siquidem ibi omnes Cancri partes semper appareant: sin minus, quatenus perpetuò conspicuas ipsius partes sol tenet. Ab hac insula uersus arctum progredientibus, alię quoque signiferi partes præter Cancrũ pro rata portione perpetuò apparẽt, & sic quantũ ipsius supra terram semper apud quosq; apparẽtes sol transigit, tantundẽ fiet & diei. Esse prętereà ait climata ubi necessariò sit dies bimestris, & trimestris, ac etiam quadrimestris, & amplius: nam & sex mensium dies inquit sub ipso polo esse: & cætera quæ idem ipse Cleomedes exequitur, à quo in lib. de mundi contemplatione, de tota hac dierum ratione accuratẽ multa referunt, ut multos alios mittam, qui tum philosophiam, tum astrologiam literarum monumentis tradiderunt. Vnius tamen Pontani uerba, quibus totam hanc breuissime rationem complexus est, lib. de reb. cœlestibus primo, adscribere operæprecium duxi: Et primum quidem, inquit, siue illud clima, siue potius cliuum, aut etiam tractũ, aut incli-

inclinationem uocaueris, tum diem maximum ſub æſtiuum ſolſtitiũ, tum noctem longiſsimam ſub brumale XIII. tantum horarũ habet: neq; enim ultra hoc ſpacium aut dies aut nox illic producitur, neq; citra XI. ſubducitur. Hic tractus quoniam Meroën Aegypti pertingit, inde à Græcis διὰ μερόης eſt agnominatus. In ſecundo autẽ climate dies & noctes ad horas XIII. adijciunt horæ unius dimidium ubi maximè productæ ſunt, ac tantundem demunt ubi ſubductæ: quod quoniam Syenen, quæ eſt plagæ illius urbs notiſsima, tractu ſuo complectitur, ab ea nomen accepit διὰ Συήνης. & ille quidem tractus Meroënſis, hic uero dici à nobis Syenenſis poteſt. In tertio, quod ab Alexandria dixere Alexandrinum, dies noctesq; maximæ illæ quidem ſunt horarum XIIII. minimæ autem decem. In quarto, quod Rhodium eſt uocatum, ad horas has XIIII, accedit horæ unius dimidium, rurſusq; tantundem demitur è decem. Quintum, quod Romanum dicitur, habet dies noctesq; ubi productiſsimæ ſunt horarum XV, ubi ſubductiſsimæ nouem tantum. Sextum, quod agnominatum eſt Helleſponticum, addit ad horas has horæ alterius dimidium, ac tantundem demitde nouem. Septimum Boryſthenicum, habet horarum XVI. tum dies tum noctes ubi ad ſummum excreuere: at ubi quò decreſcãt

amplius non habent horarũ VIII. Quidam addidere octauũ, idq; Rhiphæũ, à Rhiphæis montibus: quinetiam quidam Hyperboreũ uocauere. Hoc in tractu maxime frigido, & ab æquinoctiali linea quamremotissimo, quo propius ad uerticem septentrionis accesseris, eo amplius augescunt sub æstatem dies, sub hyemem noctes: siquidem compertum est ad horas XXI accedere. Hactenus totidem Pontanus uerbis.

His ita de dierum longitudine ac breuitate cõmemoratis, de eorundem differentijs copiosius aliquanto agamus, si seorsum ab his quæ suprà dicta sunt, aliqua de eorum partibus prius afferamus, ut res tota planius constet. *Diei diuisio.* Diuiditur autem in quadrantem, qui est diei quarta pars, ut dictum est, hoc est, horæ sex: uel in horas XXIIII. de quib. paulò pòst agemus. Hora uero in puncta quatuor. Punctum uero quarta pars horæ. Momentũ est decima pars puncti à motu siderum: uel est, ut Isidorus scribit, extremitas horæ in breuibus interuallis, cum sol aliquid sibi cedit atq; succedit. Dicitur & momen. Vncia duodecima est pars momenti. Atomus XLVII. unciæ pars. Sed hæc à mathematicis: nos ciuiles potius afferamus, quandò de his apud autores crebrior est mẽtio. Igitur Numa Rex, ut scribit Macrobius, sicut in menses annũ, ita in dies mensem quenq; distribuit: diesq;

omnes

omnes aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos uocauit. Feſti dies deis ſunt dicati, profeſti hominibus, ob adminiſtrandam rem priuatam publicamq́ concesſi: dicti, ut Feſtus ait, quod procul à religione numinis diuini. Vnde profeſtum facere, eſt tanquam profanum facere: uel, ut quidam dixere, pro eo facere uelut feriæ non ſint: aut id facere quod ferijs fieri non liceret. Itaq; diem profeſtum, diem ſine ferijs. Interciſi deorũ hominumq́ cõmunes ſunt. Feſtis inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profeſtis faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares. Interciſi, ut Varro ait, dies ſunt, per quos mane & ueſperi eſt nefas: medio tempore, inter hoſtiam cæſam & exta proiecta, uel porrecta, ut alij legunt, fas eſt. à quo quod faſtum intercedit, interciſi: aut quod intercæſum nefas. Hi uero, ut Macrobius ait, nõ alia ratione diuiduntur: nam illorum dierum quibuſdam horis fas eſt ius dicere. Cum enim hoſtia cædebatur, fari nefas erat, inter cæſa & porrecta fari licebat, rurſus cum adolebatur nõ licebat. Hinc exit illud prouerbialiter à Cicerone dictũ ad Atticũ: Ne quid inter cæſa & porrecta, ut aiunt, oneris mihi addatur, aut temporis. Significat enim, ne quid temporis ei prorogetur in prouincia: à ſacrificandi ſcilicet conſuetudine ſumptum. Varro lib. 2. de ling. lat. Nam flamen, inquit, dialis auſpicatur uindemiã, ut

Interciſi dies.

Prouerb.

iussit uinũ legere agna Ioui facit, inter cuius exta cæsa & porrecta flamen uinum prorsus legit. Qui hoc ab auspiciorũ ritu sumptũ autumant, ipsi uiderint. Sed id etiã moris in quibusdam diebus apud nos Christianos seruatur, ut scilicet dum sacra hostia celebratur, ius tacet, reliquum diei ius dicitur. Iurisconsulti sanè quidam dies intercisos scribũt eosdem esse qui & diffissi in iure dicuntur, cuius nominis ratio à Seruio Grammatico lib. 6. Aeneid. hęc colligit: ait enim, diem illum diffissum in iure dici, qui partim religiosus, partim fastus est. Meminit & Varro in libris de ling. lat. si sanè legatur, ubi de intercisis agit: Dies, inquit, qui uocatur sic quando rex comitiauit, fissus dictus ab eo, quòd eo die rex sacrificulus dicat ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Hinc & diem diffindere dicere solebant, pro eo quod est differre iudicium. Cum enim negociũ aliquod uel iudicium expediendum esset, quod ob religionem legitimámue aliã causam differre oportebat, dies diffindebatur, id est, scindebatur, uel differebat. Vlpianus: Et ideo lex, inquit, XII. tab. si iudex uel alteruter ex litigatorib. morbo sontico impediatur, iubet diem iudicij esse diffissum. Gell. lib. 14. de se iudice electo agẽs: Nequaquã, inquit, adduci potui ad absoluendũ: iussi igit diem diffindi, atq; inde à subsellijs pergo ire ad Phauorinũ. Meminit

Dies diffissi.

& Li-

& Liuius lib.ab urb.cōd.ix. Atq; ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit. Aldina tamen exemplaria, diem definit, habent. Alia, diem diffudit. Sedēm & Horat.lib.serm.2. nihil diffindere possum, ait, id est, nihil differre, uel rem producere, quin pronunciē. A diffidendo in hoc significatu, diffisionē quoq; dixit Gell. eodē quo suprà loco: Atq; in rerū, inquit, diffisionib. comperendinationibusq́;, & aliis quibusdam legitimis rebus. Et hoc quidē modo Politian. asserit se legisse, cum in Pisanis nō amplius illis, sed Florentinis Pandectis, tum in Gellij peruetustis codicib. Quod & doctiss. hodie Andreas Alciatus LL. & Iuris Doctor. Contra hos tamē, nimio (ut uidet̄) studio Italæ cōtra dicendi nationi, intrepidè Budæus legendū asserit, diffusum diem, & diffundere diē. Sed de hoc satis, ne nimium dicam: & propterea de festis & profestis nōnihil proferamus. Sacra erat celebritas, uel cum sacrificia deis offerebant̄, uel cum deis diuinis epulationibus celebrabatur: uel cum ludi in honorē deorū agebant̄, uel cum feriæ obseruabant̄. Feriç autem dictæ, ait Macrobius, ab epulis ferendis: in ijs enim epulæ fiebant ex pecorum frugumq́; prouentib. Alij à uerbo fari, ferias dictas putāt, qua in re syllaba cōsentit. Festus à feriēdis uictimis appellatas scribit ferias. Feriarū uero publicarū quatuor genera fuerūt. *Dies festi ac profesti.*

Aut enim ſtatiuæ,aut conceptiuæ,aut impe-
Statiuæ feriæ. ratiuæ, aut nundinæ fuerunt. Statiuæ quidẽ
erant uniuerſi populi cõmunes,certis & con
ſtitutis diebus & mẽſibus, & in faſtis ſtatisq́ꝫ
obſeruationibus annotatæ: in quibus præci
puè ſeruabantur agonalia, carmentalia, lu-
Conceptiuæ. percalia. Conceptiuæ ue[illegible] fer[illegible] erunt, ut
Feſtus & Macrobius ſcribunt,quæ quotan-
nis à magiſtratibus uel ſacerdotibus conci-
piebantur in certos dies, uel etiam incertos,
ut ſunt Latinę,ſementinæ,paganalia,hoc eſt,
Imperatiuæ. compitalia. Imperatiuæ erant quas Conſu-
les & Prætores pro arbitrio poteſtatis indi-
cebant,ut hoc tempore à Pontificibus & Re
Nundinæ. gibus. Nundinæ paganorum,id eſt,ruſtico-
rum erant, quoties conueniebant qui nego-
cijs proprijs uel mercibus prouiſuri erant.
Erant præterea & familiarum feriæ proprię,
ut Claudię familię,Iulię, Corneliæ,& ſi quas
ferias propriè quæq; familia ex uſu domeſti-
cæ celebritatis obſeruabat,ut Leonis & Cle-
mentis tẽpore Medicæ familiæ,quæ Coſmæ
diem,hoc eſt V. calen. Octob. feriatũ ſumma
religione colebat. Erant & ſingulorũ,ut die-
rum natalium,quæ & hodie à nonnullis ob-
ſeruantur,ut,quoad uixere,Picus & Manar-
dus, quorum utriuſq; libenter quoad uixe-
ro meminero. Fuere item fulgurũ expiatio-
nes,funerum & nuptiarum. Priuatę quidem
feriæ,teſte Feſto, hæ dicebantur: ita enim ille
ſcribit:

ſcribit: Priuatę ferię uocantur ſacrorum proprioru, uelut dies natales operatione denicales. Apud ueteres quoq; quicunq; nominaſſet, ut ait Macrobius, Semonam, Seiam, Segetiam, Tutulinam, ferias obſeruabat. Item Flaminica quoties tonitrua audiſſet feriata erat, donec deos placaſſet. Sacerdotes porrò affirmabant ferias pollui, quoties ijs indictis conceptisq; opus aliquod fieret. Pręterea nō licebat ſacrorum regem & flamines uidere ferijs opus fieri. Atq; ideo per pręconem denunciabant, ne quid tale ageretur, & pręcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam etiam affirmabant, eum qui talibus dieb. imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere. prudentem expiare non poſſe Scęuola pontifex aſſeuerabat. Sed Varro negat eum pollui, qui opus uel ad deos pertinens, ſacrorúmue cauſa feciſſet, uel aliquid ad urgentem uitę utilitatem reſpiciens actitaſſet. Scęuola deniq; conſultus quid ferijs agi liceret, reſpondit, id quod prętermiſſum noceret: quapropter ſi bos in ſpecus decidiſſet, eumq; paterfamiliâs adhibitis operis liberaſſet, nō eſt uiſus ferias polluiſſe: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti uindicauit ruina. Vnde & Vergilius, utpote omnium diſciplinarū & rituum peritus, ſciēs lauari ouem, aut lanę purgandę, aut ſcabiei curādę gratia, pronunciauit, tunc ouem

per ferias licere merſari, ſi id remedij cauſa fieret. ita enim cecinit:

Balantumq́; gregem fluuio merſare ſalubri.

quippe adijciendo ſalubri, oſtendit auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanę cauſa fieri cõceſſum: quod & Columella, & Seruius cum Macrobio diligenter obſeruarunt. Hæc de feſtis, & qui ab eis naſcuntur, qui & nefaſti uocãtur, per quos, ait Varro, nefas fari prętorem, Do, dico, addico: & à Varrone Sex. Pompeius, Ouidiusq́. Nunc de profeſtis, & qui ex eis prodeunt nonnihil dicendum, hoc eſt, de faſtis, comitialibus, comperendinis, ſtatis & *Faſti dies.* præliaribus. Faſti ſunt quibus prætori licet ſine piaculo fari, quæ tria uerba modo dicebam, Do, dico, addico. Illud par eſt hoc loco admonere, & faſtos etiam dici libros in quibus feſta & profeſta & nefaſta continentur, qualia ſunt quæ hodie uſitata uoce calendaria uocamus, quomodo Ouidius faſtos ſuos appellauit. Hos Flauionem publicaſſe teſtis eſt Cicero, Macrobius, & alij. Hos & faſtus, quartæ ſcilicet inflexionis dicimus, & grammatici obſeruant. Faſtis diebus cõtrarij ſunt nefaſti, per N literam, ut ait Feſtus, notati, id quod adhuc eſt uidere in faſtis antiquorum. Hos & nefandos uocatos ait Priſcianus, à Græcis ἀποφράδας eodem autore dictos, quorum apud autores crebra mentio: quibus & feſtiuè

festiuè Lucianus hominem moribus ferum, corpore non integrum, mollem, periurum, uitijs inquinatũ omnibus, abominandum, dici posse ait similem. Hinc & senarius ille grecus, ἄνθρωπος ἀποφρὰς, καὶ βλέπων ἀπιστίαν. hoc est, homo nefastus, & tuens quid perfidum. Hos eosdem dies Plutarchus & ἀπράκτους dixit. Hinc & Suidas eos non conuenire ad actiones ait, hoc est, αἱ πρὸς πράξεις ἀνεπιτήδειοι. uel dies sunt, inquit, quib. defunctis libamina deferuntur. Sanè Attici septem dies ἀποφράδας custodiebant, quibus Manibus inferias peragebant. Dies quoq; quibus rei capitis damnabantur, uel insigni aliqua calamitate funesti, eodem nomine dicti. Sunt & qui ἐπεικάδας nuncupent. Hi & à nostris religiosi dies dicuntur, de quibus Gellius lib. quarto Noct. Att. in his rem diuinam facere, & rem quampiam nouam exordiri temperandum esse ait. Hoc uulgus perperàm nefastos appellat. Hinc dies Alliensis religiosus dictus à Marco Tullio in epist. ad Atticum. Macrobius lib. Sat. iij. Religiosi, inquit, dies sunt, qui facienda & uitanda discernunt. Sacri uero dies sacrati sunt. Fortunatianus libro rhet. tertio, religiosos sacris opponere uidetur. Festus religiosos dies ait, quibus nisi quod necesse est nefas habet facere, quales, inquit, sunt sex & triginta atri qui appellantur, & Alliensis, atq; ij quib. mũdus patet,

qui ter in anno patêre dicebatur, ut in Calendario docebimus. Plutarchus in Camilli uita disputat, cum in mentionem incidisset horum dierum ἀποφράδων, an iure inter dies aliqui habendi sint boni, maliue. Heraclitumq́ philosophum ait Hesiodum accusare, qui bonas malasq́ nonnullas fecerit, ac si nõ teneret totius diei naturam unam esse: nonnullasq́ historias tam Græcas quàm Romanas eo loci cõmemorat, quibus Hesiodi sententiam ipse comprobare uidetur, quod scilicet aliqui infausti sint dies & religiosi, id est, ἀποφράδες. Nec hoc in Camillo tantum, sed & in alijs locis idẽ scriptor ostendit. Erant & dies comitiales, quibus cum populo agi licebat. Et fastis quidem lege agi poterat, cum populo nõ poterat. Hos dies ingeniosus poëta in Fastis ita complexus est:

Ne tamen ignores uariorum iura dierum,
Non habet officium lucifer omnis idem.
Ille nefastus erit, per quem tria uerba silentur:
Fastus erit per quem lege licebit agi.
Nec toto perstare die sua iura putaris,
Qui iam fastus erit mane nefastus erat.
Nam simul exta deo data sunt licet omnia fari,
Verbáq; honoratus libera prætor habet.
Est quoq; quo populum ius est includere septis,
Est quoq; qui nono semper ab orbe redit.

Comitiales dies antiqui per C literam notabant, ut est uidere in fastis antiquorũ. Præter hos

ter hos fuerunt & comperendines, quib. uadimonium licebat dicere. Erant & ſtati, qui iudicij cauſa cum peregrino inſtituebantur: uel ut Feſtus ſcribit, Status, inquit, dies uocatur, qui iudicij cauſa præſtitutus eſt cum peregrino: eius em̃ generis ab antiquis hoſtes appellabantur, quòd erant pari iure cum populo Ro. Atq; hoſtire ponebatur pro æquare. Plautus in Gurgul. de ſtato die meminit: Status condictus cum hoſte interceſsit dies. quo loco hoſtẽ Plautus more uetere peregrinũ ſignificat. Erant & dies qui pandiculares dicerent, ijdem qui & cõmunicarij, in quib. omnibus deis cõmuniter ſacrificare conſueuerant, ut eſt notatũ apud Feſtum. Præliares ab iuſtis, ait Macrobius, non ſegregauerim: ſiquidem, inquit, iuſti ſunt continui xxx. dies, quib. exercitui imperato uexillum ruffi coloris in arce ponebatur. quod idem penè Feſtus. Vocãtur etiã iuſti dies integri, quemadmodum iuſtum exercitum, iuſtum uolumen &c. ut erat lex illa Romanis: Aeris confeſsi, rebusq; iure iudicatis xxx. dies iuſti ſunto. Sex. Cæcilius Iureconſultus apud Gellium lib. 20. cap. 1. Confeſsi æris ac debiti iudicatis triginta dies ſunt dati conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent, eosq; dies decemuiri iuſtos appellarunt. & alia quę ſubdit idem Gellius. Præliares autẽ omnes dies, quibus fas eſt repetere, uel hoſtem laceſſere.

Stati dies.

Pandiculares.

Communicarij.

Præliares.

Nam cum Latiar, hoc eſt, Latinarũ ſolenne concipitur, item diebus Saturnaliorũ,ſed & cum mundus patet,nefas eſt prælium ſumere:quare nec Latiar tẽpore quo publicè quõdam induciæ inter pop. Ro. Latinosq́ firmatę ſunt,inchoari bellum decebat:nec Saturni feſto, qui ſine ullo tumultu bellico creditur imperaſſe:nec patente mundo,quod ſacrum Diti patri & Proſerpinæ dicatũ fuit: ſatiusq́ occluſa Plutonis fauce eundum ad prælium putauerunt. Vnde & M. Varro ita ſcriptum reliquit: Mundus cum patet,deorum triſtiũ atq́ inferûm quaſi ianua patet: propterea nõ modo prelium cõmitti, uerumetiam delectũ rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci,nauem ſoluere,uxorem liberûm quærendorum cauſa ducere religioſum. Vitabant etiam ferijs, ſicut idem Varro in augurum libris ſcripſit in hęc uerba: Viros uocare ferijs non oportet:ſi uocauit piaculum eſto. Sciendum eſt tamẽ,eligendi ad pugnandum diem tunc fuiſſe licentiam ſi ipſi inferrent bellum: at cum exciperent, nullum obſtitiſſe diem. Quis enim obſeruationi locus, cum eligendi facultas nõ ſuperſit? Dies præterea poſtriduanos ad omnia Romani cauendos putarunt,quos etiam atros infauſta appellatione damnarunt: & hoc in primo Faſtorum poëta cum de Calendis, Nonis & Idibus egiſſet, ita deſcribit: *Omnibus iſtis*

Ne fallare caue, proximus ater erit.
Omen ab euentu est, illis nam Roma diebus
Damna sub aduerso tristia marte tulit.

Idem & T. Liuius lib. 6. ab urb. cõd. & longũ extat Plutarchi problema. Verrius uero Flaccus lib. de uerb. sig. apud Gell. lib. 5. Dies, inquit, qui sunt postridie Calendas, Nonas & Idus, quos uulgus imperitè nefastos dicit, propter hanc causam dictos habitosq; atros esse scribit. Lege Gelliũ. Marcellus, atri dies, inquit, dicunt, quos nunc nefastos uel posteros uocãt. Aphranius fratribus: Septẽbris heri Calendę, hodie atri dies. Posteri, inquit Festus, Nonarũ, Iduũ, & Calẽdarũ dies nuptijs alieni habent, quoniã hi dies decreto pontificũ atri iudicati sunt, q̊d quotiescũq; Romani duces belli gerendi gratia his dieb. supplicauerunt, male remp. gessere. Meminit horũ dierũ D. Ambrosius, eos Christianos redarguens qui eos obseruarẽt. Sed quid uetat, ut cum de atris Romanorũ dixerimus, etiã hoc loco afferamus, cur albi, læti & fausti à Græcis & Latinis dicant? Scribit in Periclis uita Plutar. cum Athenienses bellũ cõtra Samios haberent, Periclẽ Samiorũ urbẽ obsedisse, q̊d cũctatione ac mora q̃ nece hominũ urbẽ capere mallet. Eius rei cũ iam milites tędere cœpisset, nec propterea Pericles eos satis quietos haberet, in partes octo exercitũ omnẽ diuisit, remq; ad sortes traduxit, ut cui alba faba

ſorte obueniſſet, epularetur atq; in ocio eſſet, cęteris pugnantibus. Idcirco dicitur (ait Plutarchus) poſteros dum uoluptatibus ac genio operam darent, album illum diem ab alba faba nũcupare ſolitos. Hactenus ferè Plutarchus. Alij hunc morem ex Thracũ inſtituto emanaſſe tradunt, ut Plin. lib. 7. Vana, inquit, mortalitas & ad circunſcribendam ſeipſam ingenioſa, cõputat more Thraciæ gentis, quę calculos colore diſtinctos pro experimento cuiuſq; diei in urnam condit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat, atque ita de unoquoq; pronunciat. Quem morem ſecutus, epigramma memini me exordiri ad B. Ferrinum in natalem eius filioli:

Threicio Ferrine dies ſignanda lapillo,
Maſcula qua proles te facit eſſe patrem.

Horatius tamen hunc morem Cretenſium fuiſſe innuit eo carmine:

Creſſa nec careat pulchra dies nota.

Niſi quis Threſſa, pro Creſſa, malit apud Horatium legere. Ad hanc conſuetudinem poëtę ſępe alludunt, ut Perſius:

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Quo loco probus Grammaticus, ſeu Cornutus, hanc planè conſuetudinem deſcribit, & Cretenſium fuiſſe ait, quo modo & apud Horatium Acron & Porphyrion. Sed ad inſtitutum iam redeo, de poſtridianis diebus, de qui

de quibus Plutarchus in Romanis quæstionibus: Quid est, inquit, quod postridie Calendas, Nonas et Idus nequaquam exire, nec peregrè proficisci Romani cõsueuere? Quo loco inter cætera negat propter Alliensem diem postridianos dies uocari, aliamq; libentius ipse amplectit opinionem. Vide igit, inquit, ne quẽadmodũ Olympijs deis ac cœlestibus primũ mensem cõsecrarũt, secundũ uero chthonijs & inferis, in quo purgationib. utebantur, & mortuis parẽtabant, sic & dies alios quidẽ quasi autores ac principes, tres scilicet, festos & sacros posuerunt, Calendas, Nonas, Idus: eos autẽ qui deinceps sequuntur deis manibus attributos, nefandos ac religiósos habendos existimauerunt: nam & Græci primum mensis diem deis sacratũ habebant, eum uero qui sequebatur heroib. ac dæmonib. attribuerunt. Secundũ quoq; cratera heroib. & semideis libare solebant. Tum etiam idem subiungit quædam de numerorum ratione. Vnitatem enim in primis ait diuinitatis quiddam & numinis habere: & quidem omnem imparem terminatum esse, & terminare perfectumq; esse: contrà parem numerum & indigentẽ esse imperfectumq; ac indefinitum. Alia his quædam adiungit, quæ mihi satius uisum est prætermittere, quàm plura inculcare, & ad eas rationes deuenire, quæ à Latinis autoribus afferuntur.

Igitur Gell.annaliũ lib.15. & Casſius Hemina hiſt.libro ſecundo referunt,anno ab urbe condita CCCLXIII. à Tribunis militum Manlio & Poſthumio collegisq́ eorum in ſenatu tractatum, quid eſſet, propter quod toties intra paucos annos malè eſſet afflicta reſpublica: & ex præcepto patrum Lucium Aquinium haruſpicem in ſenatum uenire iuſſum religionum requirendarum gratia, dixiſſe, Q. Sulpitium Trib. militũ ad Alliam aduerſum Gallos pugnaturũ, rem diuinam dimicandi gratia feciſſe poſtridie Idus Quintileis. Item apud Cremerã, multisq́ aliĳs temporibus & locis, poſt ſacrificium die poſtero celebratum, malè ceſsiſſe cõflictum. Tunc patres iuſsiſſe, ut ad collegium Pontificũ de his religionibus referretur: põtificesq́ ſtatuiſſe, poſtero die omnes Calendas, Nonas, Idus, atros habendos, ut iĳ dies neq; præliares, neque puri, neq; comitiales eſſent. F. Max. Seruilianus Pont. in lib.12. negabat oportere atro die parentare, quia tunc quoq; Ianum Iouemq́ præfari neceſſe eſſet, quos nominari atro die non oporteret. Sunt uero qui atros eos eſſe perperàm exiſtiment, qui ab obſeruatrice eiuſmodi rerum prouincia Aegyptiàci dicti ſunt, de quib. paulò pòſt agemus. Eoſdem tamen atros nonnulli communes, uelut ad emendationem nominis, ut ait Macrobius, uocitarunt. Præterea ante diem quar-

quartum Calendas, uel Nonas, uel Idus, tanquam inauſpicatum diem pleriq; omnes uitabant. Quidam in Cannenſem cladem referebant, idq; ex Q. Claudij libro quinto annalium adſtruere tentabant, qui ſcribit ante quartum Nonas Sextiles, Cannenſem cladem factam fuiſſe. Sed Varro nihil ad rem militarem pertinere ait, utrum faſtus uel nefaſtus ſit dies, ſed hoc ad priuatas ſolum actiones reſpicere. Dubitatum etiam apud antiquos, an nundinarum dies inter ferias eſſent referendi nec ne: cuius rei cum uariæ ſint ſententiæ, breuibus eas hic colligere libuit. Titus de ferijs ſcribens, Nundinas inter ferias non retulit, tantum ſolennes uocauit. Iul. Modeſtus affirmat, Meſſala augure conſulente pontifices, an nundinarum Romanarum dies ferijs tenerentur, reſpōdiſſe eos, nundinas ſibi ferias non uideri. Trebatius libro primo religionum ait, nundinis magiſtratum poſſe manumittere, iudiciaq; adijcere. Contra hos Iulius Cæſar 16. auſpiciorū libro negat nundinis concionem aduocari poſſe, id eſt, cum populo agi: ideoq; nundinis Romanorū haberi comitia nō poſſe. Corn. autem Labeo libro primo faſt. nundinas ferias eſſe pronūciauit. Sex. Pomp. Nundinas, ait, feriarū diem eſſe uoluerunt antiqui, quò ruſtici mercādi uendendiq; gratia in urbem conuenirent: cumq; nefaſtum, ne ſi liceret

Nundinarū dies an inter ferias numeratus.

cum populo agi interpellarentur nundinatores. Caufa uero huius ueritatis apud Granium Licinianum lib. 2. inuenitur: ait enim nundinas Iouis ferias effe, fiquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Ioui arietẽ folita fit immolare: fed lege Hortenfia effectũ ut faftæ effent, uti ruftici, qui nundinãdi caufa in urbem ueniebant, lites componerent: nefafto enim die prætori, ut diximus, fari nõ licebat. Ergo qui ferias dixerunt à mendacio uendicantur patrocinio uetuftatis: qui contrà fentiunt, æftimatu ætatis, quæ legem fecuta eft, uera deprompferunt. Plutarch. in quæftionibus, nundinas ait Saturno cõfecratas, quod fcilicet is deus emendi ac uendendi copia fructuum principium attulit. Nundinarum uero originem quidam Romulo afsignant, quem cõmunicato regno cum T. Tatio, facrificijs & fodalitatibus inftitutis, nundinas quoq; adiecifse ferunt, ficut Tuditanus affirmat. Sed Cafsius Seruium Tullium nundinas inftituiffe ait. Geminus uero fcribit, nundinarum diem regibus iam exactis celebrari cœptum effe, quia pleriq; de plebe repetita Seruij Tullij memoria, ei nundinis parentarent: cui fententiæ & M. Varro confentit. Rutilius autem Romanos nundinas inftituiffe fcribit, ut octo quidem diebus in agris ruftici opus facerent, nono uero die intermiffo rure ad mercatum legesq; accipiendas
Romã

Romam uenirent, & ut ſcita atq; cõſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita, à ſingulis atq; uniuerſis facile noſcerentur. Vnde & mos tractus, ut leges trinũdino die promulgarentur. quem morem cum probè non teneret qui Dionyſium tranſtulit Halicarnaſſeum Lapus, pro trinundino & nundinis lib. 7. hiſt. ſic latinè uertit, de Mutio agens: Poſt hæc, inquit, tempus præſcribitur ad apparatum defenſionis uſq; ad forum tertium: fiebant enim tunc Romanis, ut nunc quoq; fiunt, fora in dies nonos: quidam cõuenientes ex agris in urbem plebeij permutationes faciebant rerum uenalium, & inter ſe iudicia accipiebant, & de publicis quorũ erant ex lege domini, & quæ permitteret ipſis ſenatus ferentes calculos ea ſanciebãt. Dies uero ſeptem medios inter fora, coloni ijdem multi & pauperes in agris morabantur. & reliqua. Hoc loco libentius græca appoſuiſſem uerba, ſed non mihi præſtò eſt nunc exemplaris græci copia. Deceptum uero interpretem putarim, quod græcè ἀγορὰ legeret, quæ dictio Græcis diuerſa ſignificat, inter quę & forũ & nundinas. Nam & Plutarchum uidemus cum alibi, tum in eo loco cauſarum capitum rerum Romanarũ eadem dictione uſum, Cum teſtes, ait, huius rei ſunt τὸ τὰς ἀγομένας δι' ἐννέα ἡμερῶν ἐπ' ἀγορὰν συνόδους, νουνδίνας δὲ καλουμένας, ἱερὰς τοῦ κρόνου

νομίζεσθαι. hoc eſt: Conuentus ſingulis nouem diebus celebrati in forum, nundinæ uocati, quæ Saturno ſacra putantur. Porrò quod in nonis diebus nundinæ agerentur, indicio etiam nunc extant antiqua quædam diuerſis in locis reperta fragmenta faſtorum, ex quibus umbram ſaltem colligimus octo dierũ: nam menſes ita prænotatos habent literis, ut aduſque H perueniant, quæ eſt octaua litera, quomodo & nunc ex ritu Chriſtiano uſque ad ſeptimam, hoc eſt G, ut diximus, notamus. Sed his miſsis ad noſtra redeo. Et hunc trinundini morem adumbratè quidem & quoquo modo hodie ſeruari uidemus, cum trino præconio quid publicè, uel à principe, uel à Republica promulgatur. Trinundinum autem dicimus, & trinum nundinum, & tertias nundinas: nam nundinæ & nundinum rectè dicimus. Verum hæc notiora. Eadem etiamnum ratione antè iam dicta, candidatis in petitionibus uſus fuit in comitium nundinis uenire, & in colle conſiſtere, unde corã poſſent ab uniuerſis uideri. Verum hæc omnia negligentius haberi cœpta, & pòſt abolita, poſtquam trinundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adeſſe cœperũt. Dictæ aũt ſunt nundinæ quaſi nouendinæ, à numero ſcilicet nouem & dies. Alij à Nundina Romanorum dea, quæ à nono die naſcentium dicta eſt, ut

Macro-

Macrobius ſcribit, qui dies luſtricus nuncu patur, quo ſcilicet infantes luſtrantur, & nomen accipiunt: quod & Pomp. Feſtus teſtatur. Sed luſtricus dies marib. nonus fuit, fœminis octauus. Cur uero id Romani facerent pluribus explicat Plutarchus in quæſtionibus: ait enim ideo citius fœminas luſtrari, quod citius quàm mas fœmina adoleſcat: ideoq́ꝫ ſeptimum prætermiſſum, quod obſeruatum ſit eum diem pernicioſum eſſe infantibus, ea præſertim cauſa, quod illis umbilicus ſæpe reſoluitur. Sed & aliam in numerorum poteſtatem retulit. Tum & illud ſubiungit, fœminas duobus, mares uero tribus nominibus uti conſueuiſſe apud Romanos: quod idem in Marij uita in exordio ſtatim repetit, etſi quoſdam uel caruiſſe tertio, uel ignotum potius fuiſſe uideamus, ut C. Marium, & Q. Sertorium. Qua ratione Poſsidonium aliter ſentientem reprehẽſione dignum exiſtimauit idem ipſe Plutarchus. Verum de Romanorum nominibus res notior eſt, quàm ut ego pluribus hic comprobem, ab alijs pridem ante me tractatam. Sanè, ne inſtitutum deſeram, diem qui poſt quintum Iduum eſſet, quinquatrus uocabatur, qualis dies Mineruæ dicatus. Simili modo & triatrus, & ſexatrus, & ſeptimatrus, & decimatrus, de quibus Pompeius Feſtus. Porrò fue-

runt dies quidam in mense etiã apud Romanos qui μητρωακοὶ uocati sunt, quorum meminit Suidas, qui eos etiam ait prius à Phrygibus fuisse obseruatos: quales tamen, & quot fuerint, hactenus uel ex ipso, uel ex alio cognoscere haud memini: si tamen coniecturæ locus detur, Deûm matri sacros fuisse putarim, hoc est, Megalesia uel Matronalia seu Matralia. Fuerunt & apud Græcos Datyli seu Datylli (utrunque enim legimus) dies felices ac fortunati, à Datylo quopiã, cui apud Athenienses omnia felicia ac prospera contigere, ut res usque sit in prouerbium deducta. Sunt præterea & duo dies in mense quolibet, qui Aegyptiaci uocati sunt, quorum & paulo antè meminimus, quos & uariè relatos inuenio: quidam enim inauspicatos eos esse dicunt, alij contrà: ego de his nihil statuo: quæ ab astrologis, & nostris quibusdam scripta comperi duntaxat refero, nõ ueritatis, sed curiositatis gratia, ne lectorem hac in re fraudasse uideri possim, quem saltem rerum uarietate, si non facundia ac lepôre, mulcere cupio. Lectorem tamẽ admonitum uelim, dies hos pietati ac religioni parum conuenire, ut monet Ambrosius, utcunque ergo hi sunt ab Aegyptijs instituti & appellati, hoc est, à superstitiosissima natione. Sunt uero hi in singulis mensib. duo. In Ianuario quidem KL. & VIII. KL. Febr. In Februario pridie nonarum,

Aegyptiaci dies.

rum, & IIII.KL. Mart. In Martio KL. & V. KL. Aprilis. In Aprili IIII. Iduũ, & XII. KL. Maij. In Maio V. Nonas, & pridie KL. Iunias. In Iunio IIII. Iduũ, & XV. KL. Iulias. In Iulio III. Iduũ & VI. KL. Augusti. In Augusto KL. & IX. KL. Septembris. In Septembri III. Nonas & XI. KL. Octobris. In Octobri V. Nonas & XI. KL. Nouembris. In Nouembri Nonæ & IIII. KL. Decẽbris. In Decembri VII. Id. & XI. KL. Ianuarij. Quorũ omnium dierum rationẽ concludere possumus duobus his uersibus:

Augusto decies auditus lumine clangor
Liquit, olens, abijt, coluit, colet, excute gallum.

Horum uersuum singularum dictionum primarum & secundarum syllabarũ literas desume, & quota prior fuerit in literarum numero, eum mensis numerum accipe: alterius uero syllabæ eundem à fine numerum. Exemplum propono ultimi mensis, hoc est, Decẽbris, cui hæc dictio, *gallum*, deseruit. Prima litera est G. quæ septima est in numero literarum: ergo VII. Decembris dies est Aegyptiaca. Secundę porrò syllabæ litera L est, quæ X est in ordine, quoniã H nõ est litera, sed afflatus nota: igitur XXII, quæ decima est à fine eiusdem mensis, altera dies erit Aegyptiaca. Et de his adhuc satis. His ita à me percursis, aliam rursus mensis diuisionẽ afferamus, quam & uulgus & nostra obseruat ecclesia,

Aegyptiacos inueniendi dies ratio.

illumq́ in quatuor hebdomadibus & alterius parte diducamus. Hebdomada seu hebdomas græcè, latinè uulgò septimana uocatur: ab Hebræis uero, à quibus fluxisse uidetur, sabbaton: unde & ipsi Iudæi sabbatarij dicti. Cum enim, Mose teste, sex dierum spacio Deus omnia condidisset, septimum quietis ocijq́ diem esse uoluit, hoc est, sabbatum seruari præcepit. Appion uero sabbatum nõ à quiete, id est, σαββὰθ, sed à σαββὼ, hoc est lienе, denominatũ putat. Nam cum Iudæi, inquit, labore fessi essent eo ipso die, & splenis dolore correpti, sabbaton ipsum diem uocauere, à sabbo, hoc est, splene. Iustinus tamẽ ex Trogo lib. 36. & Corn. Tacitus lib. 21. à Mose uolunt institutum sabbatum, & sabbati ieiunium. Lege utriusq; historias, uidebis quàm uaria à nostris prodant. De hoc autẽ Iudæorum in sabbato ieiunio, ante Iustinum & Tacitum, & Strabo ita fermè scriptum reliquit, Pompeium Magnũ Hierosolyma cepisse seruato ieiunij die, dum ij ab omni opere abstinerẽt. Sueto. præterea hæc Augusti uerba de hoc eodem ieiunio affert: Ne Iudæus quidẽ, ait, mi Tyberi tam diligenter sabbatis ieiuniũ seruat, quàm ego hodie seruaui. Notior uero est Diogenis grammatici, ut puto, Iudęi, qui cum sabbatis Rhodi solitus esset disputare, extra ordinem accedentẽ Tyberiũ per seruulum in septimũ diem distulit: mox cum imperium

Septimana.

Sabbatum unde dictum.

rium Tyberius adeptus eſſet, Diogenes Romam ipſum ſalutãdi gratia acceſsit: quẽ pro forib. aſtantẽ cum Tyberius uidiſſet, nihil amplius, q̃ ut poſt ſeptimũ annũ rediret, admonuit, argutè admodũ referẽs ſabbati dilationem. Sed ut ad propoſitã rem redeã, & hebdomada ipſa ſabbatũ uocata eſt: nam Hebræi & primores Chriſtianorũ dicere cõſueuerunt, primã ſabbati, ſecundã, tertiã, quartã, quintã & ſextã ſabbati, quæ & grçcè παρασκευὴ, id eſt, præparatio dicit̃: ſeptima aũt propriè eſt ſabbatũ. De hac hebdomada ita Iſidor. Hebdomada, inquit, à numero ſeptẽ dierũ dicta eſt, quorũ repetitione & mẽſes, & anni, & ſecula peragunt̃. Cẽſorinus q̃q; de ſeptenario agẽs: Septenario, inquit, quo rota humana finit̃, ut Solõ ſcribit, & Iudçi in dierũ omniũ numeris ſequunt̃. & reliqua. Porrò & ſabbatũ omnẽ celebritatẽ ſignificare græcus Doctor ſcribit, σάββατον γὰρ πᾶσαν ἑορτὴν ἐκάλουν. quo loco inquirit, cur Euãg. dixerit, ὀψὲ σαββάτων, nõ autẽ σαββάτου. Verũ de ſabbato ſatis. Arabes noſtros & Iudços ſequũt̃ in hebdomada, ut qui per ſeptẽ dies & ipſi mẽſes numerẽt: primũq; diẽ dominicũ cõſtituũt, incipiẽtes ab occaſu ſolis diei ſabbati, atq; ita deinceps, q̃d eorum tradũt ſcriptores, barbarè licet. Græci quoq; hebdomade utunt̃, appellantq; primã, uel ſecundã, uel tertiã &c̃. uel ut nos, Solis, Lunæ, Martis, & reliqua, ut Theodor. Gaza ſcribit,

cui tamē quæ ab Hebręis desumpta sunt dierum nomina non satis placent, ut sabbatum & παρασκευή. At uero gentes, quos nunc uulgus sequitur, à septē stellis uagis, hoc est, planetis, nuncupauere: id quod & Indos fecisse his uerbis libro 3. Philostratus in Apollonij uita significat: Scribit, inquit, Damis Hiarcham septem annulos Apollonio dedisse, stellarum septem nominibus cognominatos, quorum singulos diebus singulis gestabat Apollonius, iuxta dierũ nomina illos distinguens. Eadem repetit & ridet Eusebius Pamphili. Hoc uero planè ordine constare uidemus. Primã igitur gentiles diem Solis, dein Lunæ, tum Martis, pòst Mercurij, inde Iouis, mox Veneris, demum Saturni constituerunt. Idq; ea ratione factũ quidam arbitrant, quod scilicet à Sole spiritum gētes se haurire putabant, à Luna uero corpus sumere, à Marte feruorem, ut Bedas de rerũ nat. scribit, uel ut Isidorus, sanguinem: à Mercurio uerba & sapientiam, ab Ioue temperantiam, uoluptatem à Venere, perseuerantiam ac tarditatem à Saturno, ut Bedas idem ait, ut uero Isidorus, humorem. Et à Sole quidem, qui in medio errantium stellarũ est positus, totũ mundum spiritus instar calefieri, & quasi uiuificari uidetur. A Luna autem, propter humoris ministerium, cunctis incrementum corporib. suggeri. A Marte, utpote qui Soli proximus,

ximus, uis & robur, quod calore ipse simul et natura sit feruidus. A Mercurio, quoniã perpetuò circa Solem discurrens ueluti inexhausta sapiẽtiæ luce radiare putatur: unde & Stilbon dictus ab Ioue, quod Saturni frigore & Martis feruore hinc inde temperatur. A Venere, quod luminis uenustate, quam habere à Solis uicinitate putatur, spectantes mortales allicit atq; afficit. A Saturno demũ, quod tardior cæteris sit, perseuerantiam cunctationemq;. Sunt qui Aegyptios fuisse uelint qui diebus ipsis hebdomadûm hæc errantiũ stellarum nomina indiderint, ut Philastrius, qui Hermetẽ Trismegistũ, ut paulò pòst docebimus, fuisse scribit. Dion & Bedas Aegyptios quidem fuisse scribunt, sed Hermetem non nominant. Id uero hac ratione factum, sol quòd maximum sit luminare, luna quòd minus est, & secundum dein ordinata quadam serie & alterna, hoc est, tertio diei primã à sole stellã nomen tertio dedisse, hoc est Marti: quarto diei primam à Luna, hoc est Mercurio: quinto secundam à Sole, id est, Ioui: sexto secundam à Luna, hoc est, Veneri: septimo tertiã à Sole, id est, Saturno attribuerunt. Alij à planetis ipsos quidem dictos, sed ex ui & potestate numerorũ: qua de re, mirũ quantum laborat noster Egnatius in quadam iuuenili sua, ut puto, racematione. Alij nonnulli ea ratione autumant, quod cuiusq; diei pri

ma hora ei numini attribuatur, cum omnes diei XII. horæ, medietatibus, ut ipsi dicunt, planetarũ adscribantur, ac regnare quodammodo uideant. Sanè Dion historicus Bithynus lib. hist. 7. atq; 30. hac eadẽ de re ita propémodum scribit, Politiano in Miscellaneis interprete: Nam quod his, inquit, septem stellis qui planetes uocantur, dies assignari receptum est, inuentũ quidem putatur Aegyptiorum: sed in omnes tamen homines haud ita pridem, ut sic dixerim, uulgari cœptum. Cęterum Græci ueteres, quantum equidẽ sciam, nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuerunt. Quoniã uero cum nationib. aliis, tum Romanis uel maxime, sic mos peruulgatus hic est, ut quasi iam patrius uideatur, pauca super his edisseram, & quo pacto, quáue causa sic ordinent exponam. Duplex igitur audita mihi ratio est, utraq; sanè haud intellectu difficilis, sed ut ambæ tamen inspectionem contineant. Nam si quis harmoniam, quæ diatessaron appellatur, qua una uis uniuersa musicæ totius contineri creditur, ad stellas has, quibus omnis cœli ornatus distinguitur, eodem quo feruntur ordine retulerit, atq; ab orbe illo supremo, qui Saturno tribuitur, incipiens, omissis duob. sequentibus, quarti deniq; dominum nuncupauerit, ac deinde duos alios transiliens, septimum adiecerit, eodemq; modo progrediens

diens præsides illorũ deos subinde in orbem recensuerit, atq; ita dies adnumerauerit, deprehendet omnes ratione quadam musica, cum cœlesti illa distinctione ornatuq; congruere. Cæterum hæc una est quæ fertur ratio, altera uero eiusmodi est. Si diei noctisq; horas à prima statim cœperis numerare, sic ut primam Saturno, dein sequentẽ Ioui, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, sextam Mercurio, septimam Lunæ tribuas, per eam scilicet orbium seriem quæ ab Aegyptijs traditur, atq; item denuò facias, donec horas quatuor & uiginti pertranseas, inuenies primam sequentis diei horam soli cohærentem: tum hoc idem in quatuor illis & uiginti horis eadẽ qua prius ratione si facias, Lunam primã tertij diei horam conciliabis. quod si subinde hoc ipsum in cæteris obseruabis, congruentẽ planè deum sibi dies quilibet asciuerit. Hæc quidem Dion, cuius descriptionem, ut planius quiuis etiam è plebe percipiat, exemplo declarabimus. Primæ dominici diei horæ Sol dominatũ, Venus secundæ, Mercurius tertiæ, Luna quartæ, Saturnus quintæ, Iupiter sextæ, Mars septimæ. Iterum quoq; Sol dominatur octauæ, atque deinceps, ita quod XV & XXII Iuppiter, Venus uero XXIII dominabitur, Mercurius XXIIII, Luna XXV, quæ hora est prima insequẽtis diei, ergo Luna dominabitur

principio diei inſequentis. Atq; pari modo, iuxta eandem calculi rationem VIII. horæ, & XV. & XXII. Vigeſimæ uero tertiæ Saturnus, & Iuppiter XXIIII, tum Mars uigeſimæ quintæ, hoc eſt, primę horæ ſequẽtis diei. Atq; ita Mars ei diei præerit, tum ſimili modo ac uia de reliquis ſeptimanæ diebus. Sanè Philaſtrius Brixienſis epiſcopus nõ ſpernendæ eruditionis præſul, cuius & honorificè in epiſtolis ab Auguſtino facta eſt mentio, in eo quem de hæreſibus libro ſcripſit, eam quoq; hæreſin habendam eſſe Chriſtianis hominibus putauit, quæ, ut uerbis illius agam, dicit nomina dierum Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris & Saturni à Deo hęc ita poſita ab origine mundi, non hominum uana præſumptione nuncupata, cum à prima origine uſq; ad Græcos reges & Hermen fallaciſsimum illum, qui hæc nomina uaniſsima & friuola mentiendo auſus eſt nuncupare, ſi quærere uolueris inuenies multum fluxiſſe temporis, & ſic paganos, id eſt, Græcos, hæc nomina poſuiſſe, cum hæc nomina etiam ſecundum ſeptem ſtellas dixerint hominũ generatione conſiſtere, ut ille ipſe delirans hoc definit. Dierum enim numerus, primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus à Deo eſt appellatus, non in hac uanitate nũcupationis turpiſsimæ initio enunciatus aut traditus. Hucuſq; Philaſtrius. Nec illud

illud prætereа hoc loco non annotauerim, certos mensis dies certis numinibus dicatos habuisse gentiles (præter planetas, qui hebdomadæ dieb. dedere nomina, ut ostensum est) id quod ex autoribus didicimus, in primisq́ Hesiodo ἐν ἡμέραις, cuius rei & suprà meminimus, cum de nefastis ageremus. Hesiodum Vergilius, sed parcius, secutus est, & alij: sed manifestius hoc Dionysius Halicarnasseus ostendit, dum dat præcepta orationis natalitiæ, ubi inter cætera ait: Sin autem dies natalis septimus aut sextus fuerit, sacros hos dies deisq́ dicatos esse, & communitatem etiam quandam cum deis immortalib. habere, opportunitate natiuitatis, propterea, ut ego quidem putauerim, quod in hoc Apollo, id est, in VII. in illo, id est, VI. Diana nata est. De nono die prætereа subdit: Dicere possis nonum Soli consecratum esse. & paulò pòst: Sin autem, inquit, XV. sit dies, hanc etiam ad Mineruam referre queas. Hæc ille. Porrò diuidere hebdomadas per ferias, ut Christiana usa est ecclesia, Nicephorus in quapiam oratione, & post eum Politianus Constantinum Magnum Imperatorem instituisse prodiderunt. Bedas uero uir multæ lectionis ac diligentiæ, id Syluestro Pontifici Romano attribuit, quem ideo ferias uocasse ait ad gentiliũ feriarum similitudinem: nam cum ferijs minus liceret seruilia opera exercere, sic Chri-

ſtianis uni Deo immortali uacare. Prima ergo feria dies eſt Dominicus, id eſt, κυριακὸς, iam tum à primis illis eccleſiæ procerib. inſtitutus & nuncupatus, ut in Apocalypſi teſtis eſt Io. Theologus. Et tum deinceps ſecunda feria, tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima, quam ſabbatum Syluester uocauit. Dominicus igitur & ſabbatum dies à noſtris frequenti ſermone uſurpantur, poſthabitis primæ & ſeptimæ feriæ nominibus, ut nouum & uetus teſtamentum per eos dies à nobis profiteri innuamus. Porrò antiqui & ipſos ſeptē hebdomadæ dies primis Abecedarij literis notare cōſueuerunt, ut uel pueris palàm eſt, quo modo in antiquis nonis quibuſq; dieb. factitaſſe, octo literarum figuris, non multò antè ſcripſimus, nundinarū diem ſignificantes. Sanè in toto anno inſunt duę & quinquaginta hebdomadæ, & diei unius ſeptima, ut Vectius Valens tradit, noſtri licet quidā integram diem putent, niſi cum annus eſt intercalaris: nam in eo uel duæ ſeptimæ, uel dies potius ſuperant. Hactenus de dierū hebdomadibus, quas & Medici peritiores alia ab hac noſtra ratione obſeruant. Quare & Cicero ad Tyronem: Symphoniam, inquit, Lyſonis uelim uitaſſes, ne in quartā hebdomadam incideres. Certè & ipſi Medici à diebus quib. ægrotus malè habere incepit, obſeruāt, quos & propterea, quoniam de ægrotis iudicant,

cant, κρισίμους & κριτικὸς uocant, nostri iudiciales & decretorios: de quib. Hippocrates, & post eum Galenus copiosius: à quo, licet nonnihil diuersi ac dissidentes sint, Manardus & Fracastorius nuper disseruere, hic libello peculiari, ille, id est Manardus, paulò antequã decederet subtilioris disputationis epistola: quorũ utriusq; libenter memini: ab altero enim plurimũ amabar, alterũ propter eius elegantiã plurimi facio. Sunt & in uita hominũ annorũ hebdomades, de quib. Censorinus multa, & Philon hebræus, qui ambo ex Solonis elegia ea de re egerunt: quam ego elegiam, à me ex græco in latinum cõuersam, in dialogis de poëtis retuli. Sed & hac de re D. Ambrosius in quadam epistola ad Orontianum, si non uersus Solonis, rem tamen totam suis uerbis explicat: quin & Hippocratem eadem de re adducit. Ab annorum certè hebdomadib. & climacterici anni deducti, à superstitiosis potius quàm ueris philosophis: septimũ enim quenq; annũ per omniũ uitã periculosum, & uelut crisimon esse definiũt, climactericonq; uocari, hoc est, scalarẽ. Sed ex ijs alijs alios difficiliores Genethliaci ac Mathematici esse statuerũt: & inter eos aliqui, eos potissimũ quos ternæ hebdomades cõficiunt, putant obseruãdos, hoc est, unum & uiginti, & XLII. & deinde LXIII. postremo LXXXIIII. in quo Staseas harum rerum

doctiſsimus, uitę terminum defixit. Alij autē non pauci, unum omnium difficillimum climactera prodidere, annum uidelicet unum dequinquageſimum, quem complent anni ſepties ſepteni: ad quam opinionē plurimorum conſenſus, ait Cenſorinus, inclinat: nam quadrati numeri potentiſsimi ab omnib. dicuntur. Deniq; Plato ille (uenia cæterorū philoſophorū) ſanctiſsimus quadrato numero annorum uitam humanam conſummari putauit, ſcilicet nouenario, qui complet annos XCI. Fuerunt etiam qui utrunq; reciperent numerū, unum dequinquaginta & XCI, & minorem nocturnis geneſibus, maiorē diurnis adſcriberēt. Pleriq; aliter moti duos iſtos numeros ſubtiliter diſcreuere, dicentes ſeptenarium ad corpus, nouenarium ad animum pertinere: illum Apollini & medicinæ corporis tributum, hunc Muſis, quia morbos animi, quos appellant πάθη, muſica lenire ac ſanare conſueuerit. Itaq; primum climactera annum XLIX eſſe prodiderunt, ultimum autem XCI, medium uero ex utroq; permixtū anno LXIII, quem numerum hebdomades nouem, uel ſeptem ἐννεάδες conficiunt. Ad quos nos annos reſpicientes olim pro Thebaldei noſtri climacterico ita in epigrammate cecinimus:

Lætus ut euadat minitantia tempora fati,
Quæ nouies actus ſeptimus annus agit.

Hunc

Hunc autem annum licet quidam periculosissimum dicãt, quod ad corpus & animum pertineat, Censorinus tamen, ut Cerellio suo blandiatur, non ducit cæteris infirmiorem: nam utrunq; quidem supradictum, ait, continet numerum, sed neutrum quadratum: & ut est ab utroq; non alienus, ita in neutro potens: nec multos sanè, quos uetustas claro nomine celebrat, hic annus absumpsit, nisi Aristotelem Stagiritem & M. Tullium, illum stomachi infirmitas, & crebræ morbidi corporis offensiones, hunc uiolenta M. Antonij proscriptio. Hunc autem annum climactericum, Aegyptij Androdan nuncupãt, de quo Iulius Firmicus: Inter cęteros, inquit, diametros hoc maximè obseruandum est, quod septeni anni & noueni per omne uitæ tempus multiplicata ratione currentes, naturali quadam & latenti ratione uarijs homines periculorum discriminibus semper afficiunt: unde & LXIII. annus, quia utriusque numeri summam pariter excipit, Androdas appellatus est, nouies enim septẽ anni LXIII fiunt: & rursus septies nouẽ simili modo anni fiunt LXIII. quia itaq; utriusq; numeri cursus in hoc anni æquata ratione concurrit, grande semper periculi discrimen imponit. Si enim septeni & noueni anni, qui hebdomatici à Græcis & enneatici appellantur, grauia semper hominibus inducunt pericula, quid an-

nus faciet sexagesimustertius, qui utriusque numeri multiplicatam & inuicem sibi obligatam perficit summam. Hac igitur ex causa Androdas ab Aegyptijs dictus est, quod omnem uitæ substantiam frangat atque debilitet. Hucusq; Firmicus. Sed omnē hanc scansilis anni rationem, etsi, ut æquum est, ridet ut inconstantem, Vectius tamen Valens Antiochenus mathematicus, in libris quos Antilogias inscripsit, pluribus est executus. Augustus Cæsar apud Gellium epistola Caio filio gratulatur, quod climactericum LXIII. euasisset. Climacterici meminit & Plinius in epistola ad Caluisium, & item Gellius libro tertio, quo loco Varronis libros commemorat, qui Hebdomades inscribebantur. Est & apud Sidonium Apollinarem mentio, libro octauo epistolarum. Sanè & in sacra scriptura annalium hebdomadum mentio, & præcipuè à propheta Daniele: de quibus hebdomadib. antiqui Christiani plura, Origenes, Africanus, Clemens, Tertullianus, Eusebius & Hieronymus, sed & Bedas in lib. de rerum nat. quo loco LXXII. illas explicat à Daniele uaticinatas: & nouissimè P. Galatinus cōtra Hebræos id inficiantes easdem est interpretatus. Cōstabat & ex septem hebdomadib. eorundē Hebræorū annus Iobeleus, ut docuimus. Atq; hactenus & de dieb. & hebdomadibus: reliquū est, ut & horas describamus.

Cum

Cum de horis ſim acturus altius aliquãto repetam, & in primis oblectationis cauſa fabuloſa quædã adſcribã. Horas Homerus ait cœli portis præeſſe, curamq́; habere ut modò ſerenum, modò nubilum ſit: à quibus uideri poſſunt quatuor illa anni tempora horæ appellata nõ Græcis modò, ſed & Latinis. Horatius de Ioue: Varijsq́; mundum Temperat horis. Has Heſiodus ex Ioue & Themide natas cecinit, & harum nomina Eurynome, ab æquali diſtributione: Dice, ab iuſtitia: Irene, à pace dicta. Horis templa conſtructa à gentibus fuiſſe, legimus apud Pauſaniã. Olen uero uates antiquiſsimus, ab horis Iunonem enutritã ſuis carminib. prodidit. P. Ouidius noſter lib. Metamorph. 2. horas ſolis aſſeclas cum alijs temporis partib. facit: ita enim ait:

A dextra læuaq́; dies, & menſis, & annus,
Seculaq́;, & poſitæ ſpacijs æqualibus horæ.

Horas igitur Plato ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν dictas uoluit, quod ſcilicet horæ tẽpora terminent. At Macrobius horas appellatas ait, quod horus ſol dicat, à quo horæ. Marius uero Victorinus Triſmegiſtũ ait, cum eſſet in Aegypto ſacrum quoddam animal Serapidi dicatũ, & in toto die duodecies urinam feciſſet, pari ſemper interpoſito tempore, per XII. horas diem dimenſum eſſe, conieciſſe, & exinde hunc horarũ numerũ emanaſſe, atq; ideo horæ dictæ ab urina, hoc eſt, οὖρος. Horus tamen Apollo,

ſeu Philippus potius, in Aegyptiorum hiero glyphicis ait utrunq; æquinoctium per Cynocephalum ſedentem ſignificari, quod uidelicet id animal in utroque æquinoctij die, duodecies, hoc eſt, per horas ſingulas meiat, idq; itidem noctib. iiſdem agat. Hinc, inquit, in hydrologijs ſedentẽ Cynocephalum Aegyptij effingere cõſueuerunt, qui ueluti mingens aquã hydrologij effundat. Sunt & qui tradant, eundem Cynocephalum nõ modò meiere, ſed & in ſingulas horas, hoc eſt, duodecies latrare. Scribit Philelphus animaduerſum in Aegypto, quo tempore ſacrificium faciendum eſſet, uictimam immolandam quater & uiceties æqualibus inter ſe ſpacijs minxiſſe, & inde horas nomen accepiſſe ab ὧρος, quod idem ſit quod οὖρος. Alij horas ita inuentas tradũt. Cœli, aiunt, quadraturam in partes duodecim pro ratione muſica diuidi, & inde horarum manaſſe rationem, & aquam quæ ex tenuiſsima cauerna diffluebat, cum per totum diem excepiſſent, hanc in duodecim partes diuiſerunt, ex quibus horis nomen impoſitum, atque inde etiam uaſis ipſis quibus horas dimetiebantur, clepſydræ & hydrologia nuncupata. Horarum uero duo ſunt genera, æquinoctiales, quæ & æquidiales, ut æquinoctium, æquidiale, teſte Feſto, à Græcis dictæ ἰσομερινὰι, & temporales quę ab eiſdem καιρικαὶ ὧραι, quas uulgares à noſtris di

ctas

ctas uidemus: de quibus ab Astrologis, inprimis Ptolemæo & Theone, alijs. Et hæ quidem modò longiores, modò breuiores, pro terrarum & urbium situ & cœli positione, uel cõsuetudine, de quibus nonnihil iam prodidimus, cum pauloantè de dierũ ac noctium longitudine & breuitate ageremus. Cum igitur in ciuili & artificiali die sex signa oriantur, & sex itidem nocte, consequens est dies singulos horas duodecim naturales seu inæquales continere, & noctes totidẽ, quomodo antiqui etiam Romani in primis usi sunt. Et idcirco inanis eorũ est dubitatio in epistola Seruij Sulpitij lib. 4. Famil. qui nesciunt quo pacto ad calendas Iunias noctis hora decima dicatur, ubi agitur de nece M. Marcelli, ignorantes æquè noctes ut dies diuidi in horas duodecim, iuxta quam consuetudinem palàm est Christum in Euangelio locutum: Nónne duodecim sunt horæ diei? & M. Crassum, cum ad Parthicam expeditionem proficiscens apud Deiotarũ regem, qui senior cum esset nouam urbem moliebat, diuertisset, Quid hoc, inquit, rei ô Deiotare, duodecima tibi iam instat hora, & nouã nihilominus urbem ædificare pergis? Cui Rex non minus salse: Nec tu, inquit, Imperator satis matutinus in Parthos moues. Sed nos scõmata mittamus. Est ergo, ut diximus, hora duplex, altera *ἰσομερινή*, id est, æquinoctialis,

ſiue ut uulgò dicitur, horologij, quæ & naturalis diei pars eſt XXIIII, quę in puncta IIII & XL. momenta, uel ut paſsim aſtrologi loquuntur, in minutias uel minuta LX diuiditur: & hæ horæ ubiq; gentium æquales ſunt. Altera eſt καιρικά, hoc eſt, temporalis & uulgaris ſeu ciuilis, quæ eſt XII pars diei artificialis, & noctis ſimili modo. At quoniã dies artificiales nõ ſemper ſunt æquales, imò quotidie & indies inæquales, uel creſcendo, uel decreſcendo, ſequitur eadem ratione horas uel longiores die creſcente, uel breuiores die decreſcente fieri: unde & apud autores frequenter eſt legere horas æſtiuas pro longioribus, quas & ſolſtitiales Victruuius uocauit: item brumales ſeu hybernas pro breuioribus & contractioribus: atq; eadem ratione horas noctis diurnis contrarias, ut cum cecinit Vergilius:

Iam nox hybernas bis quinq; peregerat horas.

Sicut enim breuiſsimę diurnæ ſunt horæ brumæ, hoc eſt, hyberni ſolſtitij, ita longiſsimæ nocturnæ, & contrà æſtiuæ horæ ſolſtitij. Præterea quoniam ſinguli planetæ ſingulis horis dominari & præeſſe ab Aſtrologis dicuntur, & mortalia, ut aiunt, diſponere, ideo planetarũ, hoc eſt, errantium ſtellarũ horæ, quæ ab eis planetariæ uocantur, conſtitutæ ſunt: de quibus nos nihil amplius, ſuis enim eas mittimus obſeruatorib. Horarum uero nomen

nomen apud Romanos diu ignoratum eſt: ccc enim & eo amplius annis, ſine his fuiſſe Cenſorinus ſcribit, & Cenſorino prius Plin. nam nuſquã in XII tabul. horas nominatas tradũt, ut in aliis poſtea legib. lectũ eſt. Apud Aegyptios tamẽ & Grecos id nomẽ fuiſſe, horologiorũ ratio ueriſimile facit. Sanè quomodo reſpondeant horæ æquinoctiales ciuilib. ex dierũ uel noctiũ auctione uel decretione, facile ratione mathematica colligit. Ciuiles enim, id eſt, ceric æ bruma & hyberno ſolſtitio tertia parte minores quàm equinoctiales interdiu eſſe patet: æſtiuo uero ſolſtitio tertia parte maiores productioresq́ꝫ: & quod ſequens eſt, uincunt hybernas duab. quartis, ſiue, quod idem eſt, dimidio: id quod & Vergilium ſignificaſſe autumant, cum ait;

An ne nouum tardis ſidus te menſibus addas?

hoc eſt, Iunio & Iulio, quib. menſib. hore longiſsime ſunt diurnæ. Ad hoc idem etiã poëta reſpexit, cum in Bucol. luſit: *Sæpe ego longos*

Cantando puerum memini me condere ſoles.

Hinc & mordax ille Catulli in Gelliũ lepos:

—— Et cum te octaua quiete

E molli longa ſuſcitat hora die.

Et Iuuenalis:

Exul ab octaua Marius bibit.

Et ſic locutus eſt Plautus, Pedianus, & rei ruſtice ſcriptores alii. Sunt igitur uerno tempore ſole Arietẽ, autumno Libram ingrediente,

æquinoctiales horæ, id eſt, pares. Legitur in quarto lib. epigrammatum Val. Martialis ad Euphemum dapum ſtructorem Domitiani, ut creditur, epigramma, in quo agit de unaquaq; hora, quid Romæ fieri mos eſſet: ſuper quo adeò multa ad hanc diē nō modo grammatici ſcripſere, ſed & Medici & Iureconſulti, ut plura me pudeat in præſentia afferre, cū & per ſe notum ſit: tantum illud ipſum adſcribam:

Prima ſalutantes, atq; altera continet hora.
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam uarios extendit Roma labores.
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæſtris.
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum.
Temperat ambroſias cum tua cura dapes,
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæſar,
Ingentiq; tenet pocula parca manu,
Tunc admitte iocos: greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thalia Iouem.

Vides ex his uerſibus ad ſextam uſq; horam negocijs operā dare Romanos ſolitos, tum reliquas ad decimam uſq;, curationi corporis & uitæ: qua de re extat etiam apud Græcos incerti autoris diſtichon, hoc ipſum q̊d obſcurè ſignificat:

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ᾽ αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

Cognoſce

Cognosce græcam argutiam, quæ latinè nō satis commodè exprimi potest: utcunq; tamē uertere tentabo:

Sufficit in sextam labor horam, deinde sequentes,
Vt uiuas, numeri litera, ζῆθι, monet.

Hoc carmen ita Max. Planudes exponit: Ad sextam, inquit, diei horam operari & laborare decet, post hanc ad cibū procedere, quod etiam manifestatur per notas & literas horologij. Nam si græcas literas, quæ septimam, octauam, nonam & decimam horam significant, hoc est, ζ, η, θ, ι, coniungas, uerbum ζῆθι exprimis, quod uiue significat latinè, ac si dicat, edas ut uiuas, hoc est, ut ille ait, φάγε ἵνα ζῆν ἔχῃς. Vel id potius innuit, ad sextam usque horam laborandum, quæ & propterea melior diei pars esse uidetur. Vnde & Paulus Iureconsultus lib. 1. ad edictum scribit, cuiusq; diei maior pars horarū est septem, primarū diei nō supremarum. quæ uerba & leguntur in Pandect. titulo de uerb. & rerum sig. Iuxta hanc sententiam & quidam Vergilianū illud esse existimant:

Nunc adeò melior quoniam pars acta diei est.

Porrò horæ uocabulum apud autores plura significat: nam & annus in quatuor horas diuiditur, id est, tempora, ut iam diximus, unde & ὧροι anni ab Aegyptijs, qui trimestres erant. Item & ὧροι annales, à quibus ὡρογράφοι eorū scriptores, qui & historiographi. Non-

nunquam etiam hora pro eo tempore accipitur quo quid est in proprio uigore, & consistendi ui, ut Suidas aliiq; docent, à qua & τὸ ὡραῖον, teste Galeno, fructum uocamus maturum, & suo tempore lectum. Hora quoque uidetur apud Grecos pulchritudinem interdum significare: hinc ὡραῖος, formosus & pulcher: & ὡραιότης, decor & forma. Hora item apud Latinos fuit iuuetutis dea, & Quirini uxor dicta, de qua Ennius poëta illo uersu:

Te'q; Quirine pater ueneror, Horam'q; Quirini.

Plura Ouidius in Metamorph. Horas etiam aliquando positas est inuenire pro ipsa cœli inclinatione & dispositione, quod dicitur: ut si dicamus Italiam uergere ad sextam horam, hoc est, ad meridiem, & ad primam horam brumalem, hoc est, ad hybernum orientem, quo modo locutum Plinium uidemus, cum de Italia agens ita ait in tertio: Incedit, inquit, per maria, cœli regione ad meridiem quidem: sed si quis diligenti subtilitate id exigat, inter sextam horam primam'q; brumalem. Sed & ad hanc normã Claud. Ptolemæũ uidemus, urbium, fluuiorum, regionũ, aliorum'q; locorum distantias ac spacia, segmentorum insuper, id est, parallelorum rationẽ ostendisse, quem mox & alij nonnulli secuti sunt, quam ob rem iam sat super'q; de horis, nunc ad horologia me conuertam.

De horologijs igitur acturi, eorum prius uaria

uaria nomina & genera afferemus, tum de ratione nõnihil. Appellata ſunt ea in primis apud ueteres ſolaria, & horaria, & horologia, & horographia: tum etiam quæ ex aquæ menſura fierent, clepſydrę, & hydrologia, ſed & horoſcopa uaſa dicuntur à Plinio. Solarium, inquit Varro, dicunt in quo horæ in ſole inſpiciuntur. Huius eſt, teſte Gellio, mentio apud Plautum in fabula Bœotia, ex paraſiti eſurientis perſona:

Vt illum dei perdant qui primus horas repperit,
Quiq; adeò primus ſtatuit hic ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.

Inuenio & ſolariũ apud duntaxat Iuriſconſultos pro uectigali poſitũ, q̊d publico præſtatur, ob ſoli publici occupationẽ. Sed idem quoq; in priuatis uidet̃. Vlpianus: Si quis in lapidicinis cædere uoluerit, nõ aliter hoc faciat, niſi prius ſolitũ ſolariũ domino præſtet. q̊d Accurſ. parũ aduertens, ſalariũ uel ſolatiũ legit: qua in re Andr. Alciatus lynceus fuit. Dictũ ſolariũ in hoc ſenſu, ut uidet̃, à ſolo, illud à ſole. Primus uero horologiũ, quod ab horarũ ratione appellatũ eſt σκιοθηρικὸν, Lacedęmone oſtẽdit Anaximenes Mileſius Thaletis diſcipulus, ut ſcribit Plin. Phauorinus tamẽ, ut eſt apud Laërt. Diogenẽ, id Anaximandro adſcribit, poſitũq; ab eo ait Lacedæmone ἐπὶ σκιοθήρων, q̊d Ambroſ. interpretat̃, in loco captãdæ umbræ idoneo, Herodot. lib. hiſt. 2.

Græcos ait à Babylonijs didicisse Gnomonem, hoc est, normam & umbilicum umbrarum, & partes duodecim diei. Sed in libris sacris regnorum quarto, longè antè apud Hebræos ipsum horologium positum ab Achazio rege inuenimus, quo tamen loco uariata legitur lectio: nam in Hebræo codice nullam horologij mentionem, sed umbrarũ eius inuenies: in Græco uero LXXII Interpretum, neutrius, sed graduum, hoc est, ἀναβαθμῶν. In Latino autem qui ab Hieronymo à plerisq; interpretatus creditur, fit & horologij & umbrarum mentio, id quod & in Esaiæ prophetæ libro legimus, quo loco de eadem re ijsdẽ etiam uerbis agitur, ubi plura Hieronymus, uideturq; ipse ex Symmacho ita legere uoluisse, ut passim in Latinis codicibus habet. Sedenim apud Romanos cuius fuerit inuentum parum constare Censorinus scribit: alij enim apud ædem Quirini primum statutum dicunt, alij in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Auentino. Illud, inquit, satis constat, nullũ in foro prius fuisse, quàm id quod M. Messala ex Sicilia aduectum ad Rostra in columna posuit, quod cum in climate Sicilię descriptum esset, ad horas Romæ non cõueniebat: in CCC. ẽm stadijs, ut ait Plinius, aut, ut longissimè in D. solis umbræ mutantur. Quinimò Vitruuius Polio architecturæ lib. nono: Longè aliter, inquit, distant descriptio

nes

nes horologiorum locorum mutationibus: umbrarũ enim æquinoctialium magnitudinibus designant analemmatorũ formæ, ex quibus perficiuntur ad rationẽ locorũ umbræ gnomonum & horarum descriptiones. Analemma autem est ratio conquisita solis cursu & umbræ crescentis à brumæ obseruatione inuenta, è qua per rationes architectonicas circiniq; descriptiones est inuẽtus effectus in mundo. Cum igitur Romæ non conueniret sciotericon Siciliæ, L. Philippus censor aliud iuxtà constituit: deinde aliquanto pòst P. Cor. Nasica censor ex aqua fecit. Hæc ferè Censorinus. At uero Plin. lib. 7. Serius, inquit, horarum obseruatio Romę contigit. XII tabulis ortus tantum & occasus nominatur, post aliquot annos adiectus est meridies, accenso, hoc est, cõsulis ministro & præcone id pronunciante, cum è curia inter Rostra & Græcostasin prospexisset solem talem. à columna ænea ad carcerem inclinato sidere supremam pronunciabat: sed hoc serenis tantum diebus usq; ad primum Punicum bellum. In his Plinij uerbis erratum esse uidetur, cum dicitur in XII tabulis ortum tantũ & occasum nominari, & post aliquot annos meridiem adiectum: cum in XII ipsis tabulis hæc uerba legi comperiantur, quæ in rhetoricis ad Herenniũ, cum de pacti formula præcepta tradunt, allata sunt: Rem ubi pa- *Analemma.*

gunt, oratione pagunt in comitio, aut in foro. Ante meridiem causam coniicito. Item apud Gellium lib. 17. cap. 2. In XII autem tabulis uerbum hoc, inquit, ita scriptũ est: Ante meridiem causam conscito. Quum perorãt ambo præsentes, post meridiem præsenti litem addicito. Si ambo præsentes, sol occasus suprema tempestas esto. & hæc quidem Gellius. In uerbis uero rhetoricorum ad Herennium notandum, pago uerbum sine n litera proferri, licet id nunquam lectum scribat in Vergilianis cõmentariis Seruius. Illud quoque ex his ipsis tabularũ uerbis colligimus, ante meridiem causidicorum horam fuisse, id quod etiam ex suprà allato Martialis epigrammate liquidò cognoscimus: ad quod alludẽs & hoc quoquo modo Iuuenal. scribit:

Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum,
Sportula, deinde forum, iurisq; peritus Apollo.

Sed redeundum ad horologii institutũ. Primus Romanis solarium horologiũ statuisse ante XII annos quàm cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini, L. Papyrius Cursor, cũ eandem ędem dedicaret à patre suo uotam, à Fab. Vestali prodit̃, qui neq; facti horologii rationẽ, uel artificem significauit, nec unde translatũ, aut apud quem scriptũ id inuenerit. M. Varro primũ statutũ in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo, à M. Val. Messala cõsule Catina capta in Si-

in Sicilia: deportatum inde post XXX annos quàm de Papyrij horologio tradit, anno urbis CCCCLXXVII. Nec congruebant ad horas eius lineæ. Paruerunt autē ei annis undecentum, donec Q. Mart. Philippus, qui cū L. Paulo fuit censor, diligentius ordinatū iuxtà posuit: idq́ munus inter cēsoria opera gratissimè est acceptum. Etiamnū tamen nubilo tempore incertæ fuere horæ usq; ad proximum lustrum, tunc Scipio Nasica collega Lanati, primus aqua diuisit horas æquè noctium ac dierum: id horologium sub tecto dicauit, anno urbis DXCV. Tandiu populo Romano indiscreta lux fuit. Et hactenus ex Plinij uerbis. Scribit uero Victruuius, Ctesibium Alexandrinum tonsoris filium, in patris tonstrina cum alia, tum etiam horologium ex aqua statuisse: ubi multa de huiuscemodi re ad hybernum horologiorum usum subiungit, inter quæ illa celebrat quę Anaporica dicta sunt, quorumq́ conficiendorum rationem diligentissimè est persecutus. Illa quoq; Nicephori Gregoræ instrumenta, quibus ratio cognoscendarum horarum noctis ex stellarum cursu traditur, miranda uideri possunt: sed quoniā ad astrologorū potius q̄ ciuilium hominū usum pertinent, missa facimus, autorē tantum innuimus, si cui fortè aliquādo id desideriū inciderit. Sunt & qui horas à luna obseruent, idq́ multiplici ratione,

Sed quanta maiore solertia ac arte ad hanc diē horologia excogitata uidemus, uel quæ puluisculis & harenulis, & his quidē uersico lorib. horas nobis metiunt: uel quę columel lis gnomicis, uel tabella pyxideq; magnete incluso, distinctis lineis? Quô nō illa miracu la referēda? Quę hodie ex diuerso metallo cō fecta, uelut automata, sua sponte agunt, hæc dentatis supra infraq; rotulis, asiduè circum actis ponderib. quibusdā libratis, ad stati mo tus temperamentū conficiunt, in quib. non horas modo diurnas & nocturnas, sed & er rantiū cœlestiumq; signorū ortus & occasus cōspiciunt: ut minus iam mirari suppetat Ar chimedis illa Græcis adeò Latinisq; scripto- ribus cantatissima sphæra, Olibriiq; aut Ar- chytę Boëtiiq; Seuerini inuēta, quæ à Casio doro tradunt. Hęc, inquā, maiora horologia plerunq; turrib. imponunt, machinisq; qui- busdam aptant, ut nō modò totis ipsis urbi- bus horæ, sed & ad multos persæpe lapides ex nolæ æreæ sonitu exaudiant. Mitto nunc minuta priuatáque horologia quæ passim fiunt. Ego in specilli oculari capulo Leonis x. Pont. horologiū mirabiliter horas osten- tans sæpe conspexi, quo ille in uenationibus itineribusq; utebatur. Sed iam, ut puto, de ho rologiis satis. Nunc per dies singulos μηνολόγιον conficiam, id est, Calendarium.

Τέλος.

CALENDARIVM.

ON alienum putaui, Illustriss. Princeps, si nostro huic de annis, mensibus, cæterisq́; præterea adderem antiquos Romanorum fastos, id est, quod nos hoc tempore Calendariū dicimus: quod tanti temporū errores implicāt, alijs aliter apud alios ordinatis ac proditis, ut pleraque nec quo mense, nec quoto die, quibúsue cōsulib. pontificibusq́; instituta sint, in tanta uarietate & uetustate nō rerum modò, sed etiam autorū, statuere & digerere poßis. quoad eius tamē nos facere potuimus, hoc qualecunq; ad studiosorum utilitatem partim ex sex Fastorum Ouidij libris excerptum, & antiquis quibusdam marmorum fragmentis, partim ex uaria iugiq́; nostra lectione confecimus: & Romanis græca adiunximus, Theod. Gazæ imitati diligentiam, qui multo studio nisus est Atheniensium menses suis hominib. ostendere. Breuitati uero in primis ea de causa studuimus, tum quod ea est fastorum natura, tum quod ea pars, quæ maior esse uidebatur, de ortu & occasu, cæterisq́; siderum & cœli motibus, à nobis ea ratione est omissa, quod ea ab antiquis & recentioribus est diligentißimè pertractata. Extat & gręcus Claudij Ptolemæi liber hac ipsa de re, qui & latinitati est à Nic. Leonico donatus, ne tibi alios nunc astrologos cōmemorem. Certè & scri-

ptores

ptores nonnulli, qui de re rust. & qui de archite ctura, quiq́; de re milit. præcepta tradidere, hoc ipsum effecerũt. Quin & Aëtius, aliiq́; nonnulli insignes medici, quæ signa tempora & tempestates indicant, id est, temporum prognostica, & quam ἐπισημασίαν nuncupant, prodiderunt. Illud uero minimè quenquam mirari uelim, quod cum his Christianorum fastos nõ adscripserim, cum tanta sit hoc tẽpore inter nostros cõtrouersia, qui status & uerus sit Paschatis & Pasionis dominicæ dies: qua de re tot eruditi ad hanc diem fastos & calendaria uel correxere, uel deintegro scripsere, ut inanis omnino & superuacaneus noster labor futurus esse uidere tur, præsertim cum tuæ nationis Gallicæ insignes duo inter cæteros Ioan. Staffl. & Lucidus Samotheus, hanc omnem partem diligentisimè sunt executi. Tibi autem & hęc qualiacunq;, Serenisś. Regina, eò libentius προσφωνοῦμεν, si minus latinè licet, nuncupamus, quò te omni literarum genere delectari intelleximus. Eò etiam insuper magis, ut hominis tibi addictisimi, &, ut dicam, maximè obæratı, affectũ seruitutemq́; cognoscas. Simul quoq; cum apud te tot sint & uiuant uiri doctisimi, eis ut nostras has nugas censendas castigandasq́; tradas. Vale meum & urbis præsidium, cuius Deus uotis aspiret.

IANVARIVS.

A	1	Kl. Ianuar.	Iani *& Iunonis.Ioui et Aesculap.*	
B	2	IIII Non.	Dies ater. *(in inf.Tyb.Ouid.*	
C	3	III Non.		
D	4	Prid. Non.	Votũ pro salute principis.	
E	5	Nonis.	Caius.Tacitus.	
F	6	VIII Id.		
G	7	VII Id.		
H	8	VI Id.	Sacrificiũ Iani. Vetus KL.	
A	9	V Id.	Agonalia. Ouid.	
B	10	IIII Id.	Media hyems. *(in cãpo mart.*	
C	11	III Id.	Carmẽtalia.*Iuturnæ ædes dic.*	
D	12	Prid. Id.	Cõpitalia. Gell.& Macro.	
E	13	Idibus.	Ioui. *Octauius Augustus dictus,*	
F	14	XIX Kl.	Febr.	*et prouinciæ*
G	15	XVIII Kl.	Carmẽtalia rela	*in formã re-*
H	16	XVII Kl.	ta.&Porrimæ	*dactæ. Oui.*
A	17	XVI Kl.	&Postuertæ.	*& tibicines*
B	18	XV Kl.	Cõcordiæ tem-	*habitu mulie*
C	19	XIIII Kl.	plum à Camil-	*bri urbem lu*
D	20	XIII Kl.	lo positum.	*strabãt.Plu.*
E	21	XII Kl.		
F	22	XI Kl.		
G	23	X Kl.		
H	24	IX Kl.	Sementinæ feriæ.*Ouid.Var-*	
A	25	VIII Kl.	*ro.Fest.Macrob.non statæ qui-*	
B	26	VII Kl.	*dem, sed indictæ.*	
C	27	VI Kl.	Castori et Polluci temp.ad	
D	28	V Kl.	Iuturnæ stagnum.	
E	29	IIII Kl.	Equiria in cãpo mart.V.K	
F	30	III Kl.	Paci.	
G	31	Prid. Kl.	Sacr.deis penat. Vet.Kl.*qui Patrij & Vrbani dicuntur.*	

α	Νουμηνία Γαμηλιῶνος.	Gamelia Iunoni hoc mēſe cele
β	δευτέρα ἱσταμένου.	brabātur, unde et menſi nomē.
γ	τρίτη ἱσταμένου.	Tertia menſis Mineruæ ſacra
δ	τετάρτη ἱσταμένου.	cuiuſque. Pauſ.
ε	πέμπτη ἱσταμένου.	
ϛ	ἕκτη ἱσταμένου.	
ζ	ἑβδόμη ἱσταμένου.	Iſidis ἄφιξις, id eſt, acceſſus. Plut.
η	ὀγδόη ἱσταμένου.	Octauus cuiuſq; menſis dies Neptu
θ	ἐννάτη ἱσταμένου.	no ſacer eſt apud Athenien. Plut.
ι	Δεκάτη.	
ια	πρώτη ἐπὶ δέκα.	
ιβ	δευτέρα ἐπὶ δέκα.	
ιγ	τρίτη ἐπὶ δέκα.	
ιδ	τετάρτη ἐπὶ δέκα.	
ιε	πέμπτη ἐπὶ δέκα.	
ιϛ	ἕκτη ἐπὶ δέκα.	
ιζ	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.	
ιη	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.	
ιθ	ἐννάτη ἐπὶ δέκα.	
κ	εἰκὰς ἢ εἰκοστή.	
κα	ἐνδεκάτη φθίνοντος.	
κβ	δεκάτη φθίνοντος.	
κγ	ἐννάτη φθίνοντος.	
κδ	ὀγδόη φθίνοντος.	
κε	ἑβδόμη φθίνοντος.	
κϛ	ἕκτη φθίνοντος.	
κζ	πέμπτη φθίνοντος.	
κη	τετάρτη φθίνοντος.	
κθ	τρίτη φθίνοντος.	
λ	δευτέρα φθίνοντος.	
λα	ἕνη καὶ νέα.	

FEBRVARIVS.

H 1 Kl. Febr. Sospitæ templi dic. *Lucaria*
A 2 IIII Non. *ab Asyli luco*. Oui. *Fest. Item lo-*
B 3 III Non. *ui sacr. de bidente.*
C 4 Prid. Non.
D 5 Nonis. Aug. dictus p. p. Ouid.
E 6 VIII Id.
F 7 VII Id.
G 8 VI Id.
H 9 V Id.
A 10 IIII Id.
B 11 III Id.
C 12 Prid. Id.
D 13 Idibus. Fauni festũ & Iouis. *Fabio-*
E 14 XVI Kl. Martij. *(rum cædes.*
F 15 XV Kl. Lupercalia. *Plut. Ouid. Varr.*
G 16 XIIII Kl.
H 17 XIII Kl.
A 18 XII Kl. Quirinaliorũ *stultorum feriæ.*
Fest. Ouid. Varro. Et Fornacalium indictio deæ Fornacali, quæ & Fornax dicta fuit, à quo indicta. Plin. Ouid. & D. *Manib. sacra feralia. Deæ Mutæ.*
B 19 XI Kl. Charistia. *Val. Max. Ouid. id*
C 20 X Kl. *est, sacra cognatorum.* Vet. Kl.
D 21 IX Kl. Terminalia. *Ouid. Bedas uero*
E 22 VIII Kl. VII. *cal. & regisfugiũ.* V. *cal.*
F 23 VII Kl. } *Mart. cui cõuenit locus bissexti.*
G 24 VI Kl. } Regisfugium. *Oui. Quidam*
H 25 V Kl. VI. *Calen.*
A 26 IIII Kl. } Equiria in campo Mart.
B 27 III Kl. } Varro. Fest. & Ouid.
C 28 Prid. Kl. Tarquinij superati. Plut.

α Νουμηνία ἐλαφηβολιῶνος. Dianæ ſacra fiebant, à ceruis elaphebolia nuncupata.
β δευτέρα ἱσταμένου.
γ τρίτη ἱσταμένου.
δ τετάρτη ἱσταμένου.
ε πέμπτη ἱσταμένου.
ϛ ἕκτη ἱσταμένου.
ζ ἑβδόμη ἱσταμένου.
η ὀγδόη ἱσταμένου.
θ ἐννάτη ἱσταμένου.
ι Δεκάτη.
ια πρώτη ἐπὶ δέκα.
ιβ δευτέρα ἐπὶ δέκα.
ιγ τρίτη ἐπὶ δέκα.
ιδ τετάρτη ἐπὶ δέκα.
ιε πέμπτη ἐπὶ δέκα.
ιϛ ἕκτη ἐπὶ δέκα.
ιζ ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
ιη ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
ιθ ἐννάτη ἐπὶ δέκα.
κ εἰκὰς ἢ εἰκοστή.
κα ὀγδόη φθίνοντος.
κβ ἑβδόμη φθίνοντος.
κγ ἕκτη φθίνοντος.
κδ πέμπτη φθίνοντος.
κε τετάρτη φθίνοντος.
κϛ τρίτη φθίνοντος.
κζ δευτέρα φθίνοντος.
κη ἕνη καὶ νέα.

MARTIVS.

D	1	Kl.	Mart.	Matronarum *dies feſtus.Feſt.*
E	2	VI	Non.	*Porph.Seru.Ouid. Matronalia.*
F	3	V	Non.	*IunonisLucinæ.Martis.Ancylio*
G	4	IIII	Non.	*rũ feſtũ.nec nubere bonũ quouſq;*
H	5	III	Non.	*cõdãtur.Porph.aliã cauſã adfert*
A	6	Prid.	Non.	Auguſt. põt.max.Sacr.Ve-
B	7	Nonis.		Veiouis tẽplũ (ſtæ.Ouid.
C	8	VIII	Id.	ad duos lucos Aſyli.Oui.
D	9	VII	Id.	
E	10	VI	Id.	
F	11	V	Id.	
G	12	IIII	Id.	Equiria altera apud Tybe-
H	13	III	Id.	rim,uľ ſi aquis increuerit
A	14	Prid.	Id.	in Cœlio mõte.Oui.Feſt.
B	15	Idibus.		Annę Perẽnæ.*Parricidiũ.i.cæ*
C	16	XVII	Kl.	April. (*des C.Cæſ.Pli.et Suet.*
D	17	XVI	Kl.	Liberalia, *Varro.quo die uirilẽ*
				togã pueri ingenui ſumebãt.Oui.Agonia Varro.
E	18	XV	Kl.	
F	19	XIIII	Kl.	Quinquatria.*Mineruæ nata-*
				lis,& Minerual magiſtris ſoluebatur.
G	20	XIII	Kl.	Quinquatria.
H	21	XII	Kl.	Quinq.*Primus dies ſeculi,quidã*
A	22	XI	Kl.	Quinquat. (VIII.*Bedas.*
B	23	X	Kl.	Quinquatr. *Tubiluſtrũ.ſacro-*
C	24	IX	Kl.	*rum tubæ luſtrantur.Varro.*
D	25	VIII	Kl.	Hilaria,*Matris deûm feſta.*Lam
E	26	VII	Kl.	*prid.Macrob.*
F	27	VI	Kl.	Matris deûm. *Amnia.Marc.*
G	28	V	Kl.	*Herod.Megaleſia Varro.*
H	29	IIII	Kl.	
A	30	III	Kl.	Iani, *Concordiæ, Salutis,Pacis.*
B	31	Prid.	Kl.	Lunę.i.*Dianæ in Auẽtino.Oui.*

α Νουμηνία μουνυχιῶνος. — Munychia sacra deæ Munychiæ, id est, Dianæ.
β δευτέρα ἱσταμένου.
γ τρίτη ἱσταμένου.
δ τετάρτη ἱσταμένου.
ε πέμπτη ἱσταμένου.
ς ἕκτη ἱσταμένου.
ζ ἑβδόμη ἱσταμένου.
η ὀγδόη ἱσταμένου.
θ ἐννεάτη ἱσταμένου.
ι Δεκάτη.
ια πρώτη ἐπὶ δέκα ἢ μεσοῦντος.
ιβ δευτέρα ἐπὶ δέκα.
ιγ τρίτη ἐπὶ δέκα.
ιδ τετάρτη ἐπὶ δέκα.
ιε πέμπτη ἐπὶ δέκα.
ις ἕκτη ἐπὶ δέκα. — Lysander Athenis potitus. Plut.
ιζ ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
ιη ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
ιθ ἐννάτη ἐπὶ δέκα ἢ δεκάτη.
κ εἰκὰς ἢ εἰκοστή.
κα ἐνδεκάτη φθίνοντος.
κβ δεκάτη φθίνοντος.
κγ ἐννάτη φθίνοντος.
κδ ὀγδόη φθίνοντος.
κε ἑβδόμη φθίνοντος.
κς ἕκτη φθίνοντος.
κζ πέμπτη φθίνοντος.
κη τετάρτη φθίνοντος.
κθ τρίτη φθίνοντος.
λ δευτέρα φθίνοντος.
λα ἕνη καὶ νέα.

C 1 Kl. April. Veneris *sacrum cum florib. &*
D 2 IIII Non. *Myrto. Plut. Ouid. Item Fortu-*
E 3 III Non. *næ uirili.*
F 4 Prid. Non.
G 5 Nonis. *Megalesia matri deûm.* K. V. *Oui.*
H 6 VIII Id. Fortunæ *publicæ primigeniæ*
A 7 VII Id. *in colle Quirinali. Ouid. Varr.*
B 8 VI Id. Ludi ob uictoriam Cæs.
C 9 V Id. Cerealia, *Ludi Circen. Instaura-*
D 10 IIII Id. *tionis dies Circensibus additus.*
E 11 III Id. *Macrob.* (*Liui. xxix.*
F 12 Prid. Id. *Magna mater* Romā *adducta.* T.
G 13 Idibus. Ioui *uictori &* Libertati. *Ouid.*
H 14 XVIII Kl. Maij.
A 15 XVII Kl. *Fordicidia uel fordicatia, de forda*
B 16 XVI Kl. Aug. *Imp. salutatus.* | *bouc. Var-*
C 17 XV Kl. | *ro. Ouid.*
D 18 XIIII Kl. Equiria *in circo max. & uulpiū*
E 19 XIII Kl. *combustio. Ouid.*
F 20 XII Kl. Palilia. Romæ *natalis.* Varro,
Oui. Fest. Plut. alij. Fallūtur *multi.* Agonia *altera, Ouid. quæ*
G 21 XI Kl. (*& agonalia dicuntur.*
H 22 X Kl. Vinalia priora. *Ioui &* Vene
A 23 IX Kl. *ri. Ouid. Plut.* Varr. *Plin. Fest.*
B 24 VIII Kl.
C 25 VII Kl. Robigalia. Plin. Fest. Oui.
D 26 VI Kl. Varro, alij.
E 27 V Kl. *Latinæ feriæ in sacro mōte.* T. Li.
F 28 IIII Kl. Floralia. Plin. Kl. V. Ouid.
G 29 III Kl.
H 30 Prid. Kl. Vestæ Palatinę. *Oui.* Hoc *men*
se, ut Plut. in Romulo *& probl.* Larentalia. *& distinguit à*
Laurentalibus, quæ mense Decembri *celebrantur.*

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ.

α Νουμηνία θαργηλιῶνος. Thargelia sacra Apollini & Dianæ. Mensis hic Græcis auspicatissimus.
β δευτέρα ἱσταμένου.
γ τρίτη ἱσταμένου.
δ τετάρτη ἱσταμένου.
ε πέμπτη ἱσταμένου.
ς ἕκτη ἱσταμένου. Dianæ natiuitas.
ζ ἑβδόμη ἱσταμένου. Apollinis dies natalis, qui dies quoque Socratis & Platonis sunt. Laert.
η ὀγδόη ἱσταμένου.
θ ἐννάτη ἱσταμένου.
ι Δεκάτη.
ια πρώτη ἐπὶ δέκα ἢ μεσοῦντος.
ιβ δευτέρα ἐπὶ δέκα.
ιγ τρίτη ἐπὶ δέκα.
ιδ τετάρτη ἐπὶ δέκα.
ιε πέμπτη ἐπὶ δέκα.
ις ἕκτη ἐπὶ δέκα.
ιζ ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
ιη ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
ιθ ἐννάτη ἐπὶ δέκα ἢ δεκάτη.
κ εἰκὰς ἢ εἰκοστή.
κα δεκάτη φθίνοντος.
κβ ἐννάτη φθίνοντος.
κγ ὀγδόη φθίνοντος. Ilij destructio.
κδ ἑβδόμη φθίνοντος.
κε ἕκτη φθίνοντος.
κς πέμπτη φθίνοντος.
κζ τετάρτη φθίνοντος. Apaturia etiam hoc mense agebantur, à Venere dicta. Tribus dieb. celebrabãtur: prima
κη τρίτη φθίνοντος.
κθ δευτέρα φθίνοντος.
λ ἕνη καὶ νέα. δόρπεια, secũda ἀνάρρυσις, tertia κουρεῶτις, quarta uero ἐπίβδα. Simplicius in Physicis. Suidas, alij. Quidam Pyanepsione agi dicunt.

MAIVS.

A	1	Kl.	Maij.	Laribus præstitib. ara posi
B	2	VI	Non.	ta.Oui.& Bonę deæ sacr.
C	3	V	Non.	Macrob.Plut.Varro, La-
D	4	IIII	Non.	ctan.Ouid.alij. & Flora-
E	5	III	Non.	les ludi triduo.Vet.Kl.
F	6	Prid.	Non.	
G	7		Nonis.	
H	8	VIII	Id.	
A	9	VII	Id.	Lemuria, *quæ noctu agebãtur,*
				& triduo.Oui.Varr.Porph.malum nubere.& Luminaria.
B	10	VI	Id.	
C	11	V	Id.	Lemuria.Vet.K.
D	12	IIII	Id.	Martis ultoris. *bisultorem ait*
E	13	III	Id.	Lemuria.V.K | *Oui.alij.Post*
F	14	Prid.	Id.	| *Lem.Vet.K.*
G	15		Idibus.	Argeorũ *simulachra scirpea de*
				ponte in Tyberim deijciebãtur.Dionys.Euseb.Plut.Oui.Ma
				cro.alij.Et mercatorũ dies festus.Fest. Oui.*Mercuriũ hoc die*
H	16	XVII	Kl.	Iunij. | *natum Martialis ait.*
A	17	XVI	Kl.	| *Aedes dedic.T.L.et*
B	18	XV	Kl.	| *Fer.Ioui.Vet.Kl.*
C	19	XIIII	Kl.	Agonia *seu agonalia Iani.* Oui.
D	20	XIII	Kl.	*Varr.Veioui* V.K.*alij superio-*
E	21	XII	Kl.	*ribus diebus.*
F	22	XI	Kl.	Vulcani *feriæ* V.K.*Vulcanalis*
G	23	X	Kl.	*flamen rem di.Maiæ faciebat.*
H	24	IX	Kl.	*Macro.tubilustriũ.Varr.Ouid.*
A	25	VIII	Kl.	*alij x.Cal.* V.K. *Ouid.alij xiij.*
B	26	VII	Kl.	Regisfugium *alterũ.* Vet.Kl.
C	27	VI	Kl.	*Ouid.alij aliter.*
D	28	V	Kl.	Templum Fortunę datum.
E	29	IIII	Kl.	Vet.Kl.Ouid.
F	30	III	Kl.	
G	31	Prid.	Kl.	

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

α Νουμηνία Σκιροφοριῶνος. Vmbraculorum festum, quae σκίρα dicuntur. Σκιρὰς Pallas.
β δευτέρα ἱσταμένου.
γ τρίτη ἱσταμένου.
δ τετάρτη ἱσταμένου.
ε πέμπτη ἱσταμένου.
ϛ ἕκτη ἱσταμένου.
ζ ἑβδόμη ἱσταμένου.
η ὀγδόη ἱσταμένου.
θ ἐννάτη ἱσταμένου.
ι Δεκάτη.
ια πρώτη ἐπὶ δέκα.
ιβ δευτέρα ἐπὶ δέκα.
ιγ τρίτη ἐπὶ δέκα.
ιδ τετάρτη ἐπὶ δέκα.
ιε πέμπτη ἐπὶ δέκα.
ιϛ ἕκτη ἐπὶ δέκα.
ιζ ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
ιη ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
ιθ ἐννεάτη ἐπὶ δέκα.
κ εἰκὰς ἢ εἰκοστή.
κα ἐνδεκάτη φθίνοντος.
κβ δεκάτη φθίνοντος.
κγ ἐννεάτη φθίνοντος.
κδ ὀγδόη φθίνοντος.
κε ἑβδόμη φθίνοντος.
κϛ ἕκτη φθίνοντος.
κζ πέμπτη φθίνοντος.
κη τετάρτη φθίνοντος.
κθ τρίτη φθίνοντος.
λ δευτέρα φθίνοντος.
λα ἕνη καὶ νέα.

IVNIVS.

H 1 Kl. Iunij. Iunonis *Monetæ ædis dedic.*
A 2 IIII Non. *Macrob.Bedas. Carnæ deæ in*
B 3 III Non. *Cælio monte. Marti ſacr. extra*
*port.Capenam.Tẽpeſtati delubrũ.*Oui.*Fabariæ* Kl. Macr.
C 4 Prid. Non. Bellonæ ſacr. *Herculis ædes in*
D 5 Nonis. Templũ fidei.*Spon-* (*Circo.*
ſoris Iouis.*Dion.alij.Sacrum* Fidio *Semipatri.* Vet.Kl.Ouid.
E 6 VIII Id. Veſtæ templum.
F 7 VII Id. Piſcatorij ludi *in camp. Mart.*
Ouid.Feſt.*Mentis templum dic.*Ouid.Vet.Kl.
G 8 VI Id. Veſtæ. Vet.Kl. Oui.*Aſini coro-*
H 9 V Id. *nantur.Ara* Iouis *Piſtoris.*
A 10 IIII Id. Matralia.*Fortis* Fort.*Cõcordiæ*
B 11 III Id. *ædes.Matris matutæ.*V.K.Oui.
C 12 Prid. Id. Iouis inuicti.*Minuſculæ quin-*
D 13 Idibus. Iulij. *quatria Mineruæ.*Varro.
E 14 XVIII Kl. (*Feſt.Cenſorinus.*
F 15 XVII Kl. Stercus ex æde Veſtæ defer
G 16 XVI Kl. tur. Feſt. Varro.Ouid.
H 17 XV Kl.
A 18 XIIII Kl.
B 19 XIII Kl. Mineruæ *in Auentino.* Vet.Kl.
C 20 XII Kl. Sumani *ſacrum ad* Circum *max.*
D 21 XI Kl. Vet.Kl.Ouid.
E 22 X Kl. Flaminius *uictus à* Pœnis.Oui.
F 23 IX Kl. Fortis *fortunæ.* Vet. Kl. Ouid.
G 24 VIII Kl. Varr.*Naues coronatæ per*Tybe
H 25 VII Kl. *rim conuiuia ducebant.*
A 26 VI Kl. Iouis *Statoris & Laris.*Ouid.
B 27 V Kl. Quirini *templum in coll.* Quiri.
C 28 IIII Kl. Ouid.Vet.Kl.III.Cal.
D 29 III Kl. Herculis & Muſarũ. Ouid.
E 30 Prid. Kl. *Populifugia in Iunio dies.* Varro.

Hecatombæ hoc menſe plures, unde et illi nomē. Anni initium apud Athenien. uel quod ſol hecatombæus diceretur.

α Νουμηνία ἑκατομβαιῶνος.
β δευτέρα ἱσταμένου.
γ τρίτη ἱσταμένου.
δ τετάρτη ἱσταμένου.
ε πέμπτη ἱσταμένου.
ϛ ἕκτη ἱσταμένου.
ζ ἑβδόμη ἱσταμένου.
η ὀγδόη ἱσταμένου.
θ ἐννάτη ἱσταμένου.
ι Δεκάτη.
ια πρώτη ἐπὶ δέκα.
ιβ δευτέρα ἐπὶ δέκα.
ιγ τρίτη ἐπὶ δέκα.
ιδ τετάρτη ἐπὶ δέκα.
ιε πέμπτη ἐπὶ δέκα.
ιϛ ἕκτη ἐπὶ δέκα.
ιζ ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
ιη ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
ιθ ἐννάτη ἐπὶ δέκα.
κ εἰκὰς ἢ εἰκοστή.
κα δεκάτη φθίνοντος.
κβ ἐννάτη φθίνοντος.
κγ ὀγδόη φθίνοντος.
κδ ἑβδόμη φθίνοντος.
κε ἕκτη φθίνοντος.
κϛ πέμπτη φθίνοντος.
κζ τετάρτη φθίνοντος.
κη τρίτη φθίνοντος.
κθ δευτέρα φθίνοντος.
λ ἕνη καὶ νέα.

IVLIVS. QVINTILIS.

F	1	Kl.	Iulij.	*Hoc die apud* Ro.*fiebant migratio*
G	2	VI	Non.	*nes ex ædibus in alienas ædes,ut*
H	3	V	Non.	*hoc tempore in festo* D.*Michaë-*
A	4	IIII	Non.	*lis:id quod ex Cicer. Suetonio, et*
B	5	III	Non.	*Mart.colligunt docti.*
C	6	Prid.	Non.	Capitol.*incensum tẽpore Syllæ.*
D	7		Nonis.	Romulus *nõ apparuit.* Lãp.*in*
E	8	VIII	Id.	Cõmodo. *Plut. Caprotinæ.* Iuno
F	9	VII	Id.	*Caprotina.* Ancill*arũ festum.* M*a*
G	10	VI	Id.	*crob.*Plut.Ouid.V*arro.*
H	11	V	Id.	Ludi Apollinares. T.*Liuius.*
				V*et.*Kl.V*arro.* L*iuius alio loco tertio* Non.*ait.*
A	12	IIII	Id.	Iulij C*æs.natalis,unde mẽsis.* M.
B	13	III	Id.	*Ant. consule legẽ ferente. Macr.*
C	14	Prid.	Id.	F*ortunæ mulieb. dedic.*Dion. L*iu.*
D	15		Idibus.	Castoris *et* Poll. *Equites* Ro.*ab*
E	16	XVII	Kl.August.	*æde* H*onoris in equis in*
F	17	XVI	Kl.	C*apit.*Pli.V.K.D*ion.*
G	18	XV	Kl.	Alliensis dies atra. *Sera.Plin.*
H	19	XIIII	Kl.	*Tacit.*XVII.C*al.Plut.*XVI.
A	20	XIII	Kl.	C*al.in Camillo.*
B	21	XII	Kl.	Mundi natalis. *Solinus ex Ae-*
C	22	XI	Kl.	*gyptiorũ sacerd.sententia.Sed ui-*
D	23	X	Kl.	*de quæ in libro notauimus.*
E	24	IX	Kl.	
F	25	VIII	Kl.	H*oc mense rutilæ canes caniculæ*
G	26	VII	Kl.	*sacrificabantur.* V*ide* F*estum.*
H	27	VI	Kl.	
A	28	V	Kl.	N*eptunalia etiam hoc mense.* V*et.*
B	29	IIII	Kl.	Kl.*&* V*arro.*
C	30	III	Kl.	
D	31	Prid.	Kl.	

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

α Νουμηνία μεταγειτνιῶνος.
β δευτέρα ἱσταμένου.
γ τρίτη ἱσταμένου.
δ τετάρτη ἱσταμένου.
ε πέμπτη ἱσταμένου.
ς ἕκτη ἱσταμένου.
ζ ἑβδόμη ἱσταμένου.
η ὀγδόη ἱσταμένου.
θ ἐννάτη ἱσταμένου.
ι Δεκάτη.
ια πρώτη ἐπὶ δέκα.
ιβ δευτέρα ἐπὶ δέκα.
ιγ τρίτη ἐπὶ δέκα.
ιδ τετάρτη ἐπὶ δέκα.
ιε πέμπτη ἐπὶ δέκα.
ις ἕκτη ἐπὶ δέκα.
ιζ ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
ιη ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
ιθ ἐννάτη ἐπὶ δέκα.
κ εἰκὰς ἢ εἰκοστή.
κα ἐνδεκάτη φθίνοντος.
κβ δεκάτη φθίνοντος.
κγ ἐννάτη φθίνοντος.
κδ ὀγδόη φθίνοντος.
κε ἑβδόμη φθίνοντος.
κς ἕκτη φθίνοντος.
κζ πέμπτη φθίνοντος.
κη τετάρτη φθίνοντος.
κθ τρίτη φθίνοντος.
λ δευτέρα φθίνοντος.
λα ἕνη καὶ νέα.

AVGVSTVS.

E 1 Kl. Augusti. Spei *ad forū olitoriū.* V.Kl. Cōse
F 2 IIII Non. *cratio tēpli Martis.* Dion *in hist.*
G 3 III Non. Feriæ *quod* Cæs. Hisp. *citeriorē*
H 4 Prid. Non. *uicit.* Vet.Kl.
A 5 Nonis. Saluti in colle Quirin. Vet.
B 6 VIII Id. Kl. & Spei.
C 7 VII Id.
D 8 VI Id. *Solis indigetis in colle Quir.* V.K.
E 9 V Id. Aræ Opis & Cereris in ui-
F 10 IIII Id. co Iugario. Vet.Kl.
G 11 III Id. Herculi magno custodi in
H 12 Prid. Id. Circo Flam. Vet.Kl.
A 13 Idibus. Dianæ *sacra.* Martial. *Currebant*
in nemus Aricinū. Item natalis Augusti. Porphy. *Dies festus*
B 14 XIX Kl. Septemb. *seruorū & ancillarū.*
C 15 XVIII Kl. *Plut.* Et *Vertumno in*
D 16 XVII Kl. Loreto *maiore.* V.K.
E 17 XVI Kl. *Portunalia ad pōtē Aemyl.* V.K. *et*
V*ar.* *Iano ad theat.* M*arcelli.* V.K. (*dic. Sabinarū raptus.*
F 18 XV Kl. Cōsualia. *Plut. in Numa. uel seq.*
G 19 XIIII Kl. Augusti mors. *Dion hist. Suet.*
H 20 XIII Kl. Vinalia secunda. Plin.
A 21 XII Kl. Vinalia rustica. *Varro.* F*estus*
B 22 XI Kl. *uero xiiij. Cal. idem et* V Kl.
C 23 X Kl. Vulcanalia *in* Circo F*lam.* V*et.*
D 24 IX Kl. (Kl.
E 25 VIII Kl. Opiconsiuæ in Capitolio.
F 26 VII Kl. Vet.Kl. Varro.
G 27 VI Kl. Vulturnalia. V.Kl. V*arr. cuius*
H 28 V Kl. *feriæ mense* O*ctob.* V*ortūnalia.*
A 29 IIII Kl. Vulcanalia. Festus.
B 30 III Kl. Mundus Cereris patet.
C 31 Prid. Kl. Nat. C. *Cæs. Germanici.* V*et.*Kl.

α	Νουμηνία βοηδρομιῶνος.	Boëdromia celebritas hoc
β	δευτέρα ἱσταμένου.	mense agebatur, unde et
γ	τρίτη ἱσταμένου.	mensis dictus. Apollo e-
δ	τετάρτη ἱσταμένου.	tiam Boedromius uoca-
ε	πέμπτη ἱσταμένου.	tus. Plut. Pauſ. Harpocr.
ς	ἕκτη ἱσταμένου.	alij. Xerſes uictus. Plut.
ζ	ἑβδόμη ἱσταμένου.	
η	ὀγδόη ἱσταμένου.	
θ	ἐννάτη ἱσταμένου.	
ι	Δεκάτη.	
ια	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	
ιβ	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	
ιγ	τρίτη ἐπὶ δέκα.	
ιδ	τετάρτη ἐπὶ δέκα.	
ιε	πέμπτη ἐπὶ δέκα.	
ις	ἕκτη ἐπὶ δέκα.	
ιζ	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.	
ιη	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.	
ιθ	ἐννάτη ἐπὶ δέκα.	
κ	εἰκὰς ἢ εἰκοστή.	
κα	ἑνδεκάτη φθίνοντος.	Myſteria magna. Plut. & Li-
κβ	δεκάτη φθίνοντος.	ber pater ex urbe in Eleuſinem
κγ	ἐννάτη φθίνοντος.	transferebatur.
κδ	ὀγδόη φθίνοντος.	
κε	ἑβδόμη φθίνοντος.	
κς	ἕκτη φθίνοντος.	
κζ	πέμπτη φθίνοντος.	
κη	τετάρτη φθίνοντος.	Harpocratis feſtum hoc menſe fie
κθ	τρίτη φθίνοντος.	bat ab Aegyptijs. Plut.
λ	δευτέρα φθίνοντος.	
λα	ἕνη καὶ νέα.	

SEPTEMBER.

D	1	Kl. Septēb.		Vulcani *tutela Septemb.* V.Kl.
E	2	IIII	Non.	Augusti *uictoria naualis ex* M.
F	3	III	Non.	*Ant.& Cleop.Dion.*
G	4	Prid.	Non.	
H	5		Nonis.	
A	6	VIII	Id.	
B	7	VII	Id.	
C	8	VI	Id.	*Hierosolyma à* Tito V*esp. capta.*
D	9	V	Id.	*Iosephus.*
E	10	IIII	Id.	
F	11	III	Id.	
G	12	Prid.	Id.	
H	13		Idibus.	Prętor Max. *clauum pangit.*T.

Liu.et Capitolij dedic.ab Horatio,Plut.T.L.Ioui. V*et.* Kl.

A	14	XVIII	Kl.	Octobris.
B	15	XVII	Kl.	Ludi.V.K. *qui* Romani *& ma-*
C	16	XVI	Kl.	Ludi. V.K. *(gni.Asc.Pæd.*
D	17	XV	Kl.	Ludi.V.K.
E	18	XIIII	Kl.	Ludi.V.K.
F	19	XIII	Kl.	
G	20	XII	Kl.	Romuli natalis.Plut.
H	21	XI	Kl.	
A	22	X	Kl.	
B	23	IX	Kl.	Natalis *Augusti.Dion hist.Suet.*
C	24	VIII	Kl.	
D	25	VII	Kl.	Veneri.Vet.Kl.
E	26	VI	Kl.	
F	27	V	Kl.	
G	28	IIII	Kl.	
H	29	III	Kl.	
A	30	Prid.	Kl.	Epulum Mineruæ.Vet.K.

Meditrinalia hoc mense celebrabantur,& M*etrina dea,quo die primum mustum bibebant.*Fest.V*arro.*

α	Νουμηνία μαιμακτηριῶνος.	Mæmactes Iupiter, & inde mensis. Harpocr. & alij.
β	δευτέρα ἱσταμένου.	
γ	τρίτη ἱσταμένου.	
δ	τετάρτη ἱσταμένου.	
ε	πέμπτη ἱσταμένου.	
ϛ	ἕκτη ἱσταμένου.	
ζ	ἑβδόμη ἱσταμένου.	
η	ὀγδόη ἱσταμένου.	
θ	ἐννάτη ἱσταμένου.	
ι	Δεκάτη.	
ια	πρώτη ἐπὶ δέκα.	
ιβ	δευτέρα ἐπὶ δέκα.	
ιγ	τρίτη ἐπὶ δέκα.	
ιδ	τετάρτη ἐπὶ δέκα.	
ιε	πέμπτη ἐπὶ δέκα.	
ιϛ	ἕκτη ἐπὶ δέκα.	Parentatio eorum qui cõtra Persas pugnando occubuerunt. Plut.
ιζ	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.	
ιη	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.	
ιθ	ἐννάτη ἐπὶ δέκα.	Thoth, id est, Mercurio Aegyptij sacrificant. Plut.
κ	εἰκὰς ἢ εἰκοστή.	
κα	δεκάτη φθίνοντος.	
κβ	ἐννάτη φθίνοντος.	
κγ	ὀγδόη φθίνοντος.	
κδ	ἑβδόμη φθίνοντος.	
κε	ἕκτη φθίνοντος.	
κϛ	πέμπτη φθίνοντος.	
κζ	τετάρτη φθίνοντος.	
κη	τρίτη φθίνοντος.	
κθ	δευτέρα φθίνοντος.	
λ	ἕνη καὶ νέα.	

OCTOBER.

B	1	Kl.Octobr.		Martis *tutela* O*ctob*.Vet.Kl.
C	2	VI	Non.	
D	3	V	Non.	
E	4	IIII	Non.	Mũdus Cereris patet.Fest.
F	5	III	Non.	
G	6	Prid.	Non.	
H	7		Nonis.	
A	8	VIII	Id.	
B	9	VII	Id.	
C	10	VI	Id.	
D	11	V	Id.	
E	12	IIII	Id.	
F	13	III	Id.	
G	14	Prid.	Id.	
H	15		Idibus.	Mercatores *Mercurio*.V*ergilij*
A	16	XVII	Kl.Nouẽbr.	*natalis*.M*artial*.O*cto*
B	17	XVI	Kl.	*ber equus Marti immo*
C	18	XV	Kl.	*latur*.F*est*.P*lut*.
D	19	XIIII	Kl.	
E	20	XIII	Kl.	
F	21	XII	Kl.	
G	22	XI	Kl.	
H	23	X	Kl.	
A	24	IX	Kl.	
B	25	VIII	Kl.	
C	26	VII	Kl.	
D	27	VI	Kl.	
E	28	V	Kl.	
F	29	IIII	Kl.	Sacrum hoc menſe Libe
G	30	III	Kl.	ro fiebat. V.Kl. Et Ver
H	31	Prid.	Kl.	tumni feriæ. Varr.

α	Νουμηνία πυανεψιῶνος.	Pyanepſia hoc menſe celebrantur.
β	δευτέρα ἱσταμένου.	
γ	τρίτη ἱσταμένου.	
δ	τετάρτη ἱσταμένου.	
ε	πέμπτη ἱσταμένου.	
ϛ	ἕκτη ἱσταμένου.	
ζ	ἑβδόμη ἱσταμένου.	
η	ὀγδόη ἱσταμένου.	Panopſia Apollini, imò Pyanepſia.
θ	ἐνάτη ἱσταμένου.	Ereſione plectitur.
ι	Δεκάτη.	Oſchophoria, id eſt, Ramalia celebrabantur. Plut. Suid. Comment. in Nicand.
ια	πρώτη ἐπὶ δέκα.	
ιβ	δευτέρα ἐπὶ δέκα.	
ιγ	τρίτη ἐπὶ δέκα.	
ιδ	τετάρτη ἐπὶ δέκα.	
ιε	πέμπτη ἐπὶ δέκα.	
ιϛ	ἕκτη ἐπὶ δέκα.	
ιζ	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.	
ιη	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.	
ιθ	ἐνάτη ἐπὶ δέκα.	
κ	εἰκὰς ἢ εἰκοστή.	
κα	ἐνδεκάτη φθίνοντος.	
κβ	δεκάτη φθίνοντος.	Chalcea Mineruæ ſolennitas, uel ut Phanodemus ait, Vulcani Hyperides. Harpocr.
κγ	ἐνάτη φθίνοντος.	
κδ	ὀγδόη φθίνοντος.	
κε	ἑβδόμη φθίνοντος.	
κϛ	ἕκτη φθίνοντος.	
κζ	πέμπτη φθίνοντος.	
κη	τετάρτη φθίνοντος.	Myſteria minora hoc menſe agebantur. Plut. Galenus.
κθ	τρίτη φθίνοντος.	
λ	δευτέρα φθίνοντος.	
λα	ἕνη καὶ νέα.	

NOVEMBER.

A	1	Kl. Nouēb.		*Hoc menſe* Iouis *epulum celebraba*
B	2	IIII	Non.	*tur.* Vet. Kl.
C	3	III	Non.	
D	4	Prid. Non.		
E	5	Nonis.		
F	6	VIII	Id.	
G	7	VII	Id.	Mundum patêre. Feſt.
H	8	VI	Id.	
A	9	V	Id.	
B	10	IIII	Id.	
C	11	III	Id.	Maria claudūtur. V*eget. alij.*
D	12	Prid.	Id.	*uſq; in* VI. *Id. Mart.*
E	13	Idibus.		
F	14	XVIII	Kl.	Decembris.
G	15	XVII	Kl.	
H	16	XVI	Kl.	Ludi *plebei per hos dies. Suet.*
A	17	XV	Kl.	
B	18	XIIII	Kl.	
C	19	XIII	Kl.	
D	20	XII	Kl.	
E	21	XI	Kl.	
F	22	X	Kl.	
G	23	IX	Kl.	
H	24	VIII	Kl.	*Bruma, quæ & Brumalia, feſtū* Ro
A	25	VII	Kl.	*manorum.* Conſtant. *in re ruſt.*
B	26	VI	Kl.	
C	27	V	Kl.	*Hic mēſis fuit in tutela* Dianæ. V.
D	28	IIII	Kl.	Kl. *& inferiæ fiebāt* Gallis *de-*
E	29	III	Kl.	*foßis &* Græcis *in foro* Boario.
F	30	Prid.	Kl.	*Plut.*

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

α	Νουμηνία ἀνθεστηριῶνος.	Antheſteria hoc menſe age
β	δευτέρα ἱσταμένου.	bantur, quæ et Bacchana
γ	τρίτη ἱσταμένου.	lia. Theoph. Suid. Harp.
δ	τετάρτη ἱσταμένου.	
ε	πέμπτη ἱσταμένου.	
ϛ	ἕκτη ἱσταμένου.	
ζ	ἑβδόμη ἱσταμένου.	
η	ὀγδόη ἱσταμένου.	
θ	ἐννάτη ἱσταμένου.	
ι	Δεκάτη.	Limna Baccho. Thucyd.
ια	πρώτη ἐπὶ δέκα.	
ιβ	δευτέρα ἐπὶ δέκα.	Choēs. Suid.
ιγ	τρίτη ἐπὶ δέκα.	Pithœgia.
ιδ	τετάρτη ἐπὶ δέκα.	Chytra. Alij in Lenæone men-
ιε	πέμπτη ἐπὶ δέκα.	ſe conſtituunt. Cōment. in He
ιϛ	ἕκτη ἐπὶ δέκα.	ſiod. Harpocr.
ιζ	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.	
ιη	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.	
ιθ	ἐννάτη ἐπὶ δέκα.	
κ	εἰκὰς ἢ εἰκοστή.	
κα	δεκάτη φθίνοντος.	
κβ	ἐννάτη φθίνοντος.	
κγ	ὀγδόη φθίνοντος.	
κδ	ἑβδόμη φθίνοντος.	
κε	ἕκτη φθίνοντος.	
κϛ	πέμπτη φθίνοντος.	
κζ	τετάρτη φθίνοντος.	
κη	τρίτη φθίνοντος.	
κθ	δευτέρα φθίνοντος.	
λ	ἔνη καὶ νέα.	

DECEMBER.

G 1 Kl. Decēbr. Fortunæ *muliebris festum, quoniam hoc die bellum sublatū. Postea translatum prid. Non. Quintil.* Dionys. *Halicarn. in viij.*
H 2 IIII Non.
A 3 III Non.
B 4 Prid. Non.
C 5 Nonis. Faunalia. Porphy.
D 6 VIII Id.
E 7 VII Id.
F 8 VI Id.
G 9 V Id.
H 10 IIII Id.
A 11 III Id.
B 12 Prid. Id.
C 13 Idibus.
D 14 XIX Kl. Ianuarij.
E 15 XVIII Kl.
F 16 XVII Kl. Saturnalia *incipiunt, et per tres dies durant: quib. addūtur* Sigillaria, *quæ septē dies cōplēt.* Macro.
G 17 XVI Kl.
H 18 XV Kl.
A 19 XIIII Kl. Opalia *et Saturnalia.* Macr. Var.
B 20 XIII Kl.
C 21 XII Kl. Angeronalia *Angeronæ deæ.* Macrob. *Herculi & Cereri de mulso.* Macrob.
D 22 XI Kl. Feriæ *larib. dicatæ.* Macr. Cōpitalia. *Ludi laribus.* Plin.
E 23 X Kl.
F 24 IX Kl. Feriæ Iouis. *Larētinalia uel Laurentinalia.* Plut. Varr. Ouid.
G 25 VIII Kl.
H 26 VII Kl. Iuuenalis *dies* VIII. *Saturn. additus.* Suet. *unde &* Iuuenales *ludi.*
A 27 VI Kl.
B 28 V Kl.
C 29 IIII Kl.
D 30 III Kl. Decēber *Saturno sacer.* Macro.
E 31 Prid. Kl. *Tutela uero* Vestæ. V. Kl.

α	Νουμηνία Ποσιδεῶνος.	Posſidonia à certamine Pallad. & Neptuni.
β	δευτέρα ἱσταμένου.	
γ	τρίτη ἱσταμένου.	
δ	τετάρτη ἱσταμένου.	
ε	πέμπτη ἱσταμένου.	
ϛ	ἕκτη ἱσταμένου.	
ζ	ἑβδόμη ἱσταμένου.	
η	ὀγδόη ἱσταμένου.	
θ	ἐννάτη ἱσταμένου.	
ι	Δεκάτη.	
ια	πρώτη ἐπὶ δέκα.	Alcyonij dies.
ιβ	δευτέρα ἐπὶ δέκα.	
ιγ	τρίτη ἐπὶ δέκα.	
ιδ	τετάρτη ἐπὶ δέκα.	Brumalia feſtum hoc menſe & Ambroſia. Proclus in Heſiod.
ιε	πέμπτη ἐπὶ δέκα.	
ιϛ	ἕκτη ἐπὶ δέκα.	
ιζ	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.	
ιη	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.	
ιθ	ἐννάτη ἐπὶ δέκα.	
κ	εἰκὰς ἢ εἰκοστή.	
κα	ἑνδεκάτη φθίνοντος.	
κβ	δεκάτη φθίνοντος.	
κγ	ἐννάτη φθίνοντος.	
κδ	ὀγδόη φθίνοντος.	
κε	ἑβδόμη φθίνοντος.	
κϛ	ἕκτη φθίνοντος.	
κζ	πέμπτη φθίνοντος.	
κη	τετάρτη φθίνοντος.	
κθ	τρίτη φθίνοντος.	
λ	δευτέρα φθίνοντος.	
λα	ἕνη καὶ νέα.	

4

1/2

3

60